+6 17

APOLOGIA

PRO

HUBERTO GAUTIO

SACRÆ THEOLOGIÆ

IN ANTVERPIENSI SEMINARIO

PROFESSORE

CONTRA

JESUITARUM CALUMNIAS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

17

M. DCC. X.

APOLOGIA
PRO
HUBERTO GAUTIO
SACRÆ THEOLOGIÆ
IN ANTVERPIENSI SEMINARIO
PROFESSORE
CONTRA
JESUITARUM CALUMNIAS.

PErvulgata hìc Antverpiæ ſunt, ac annitentibus Jeſuitis latiùs etiam ſparſa, quæ in hoc caput jactata fuere, cùm in publicis diſputationibus in Antverpienſi Jeſuitarum Collegio habitis 2 Aprilis hujus anni 1710, tum & in familiari ad Seminarii Profeſſorem Epiſtola aliquantò poſt in lucem edita, ſine approbatione, ſuppreſſo quoque nomine auctoris juxta ac impreſſoris, in qua quid Jeſuita dixit aut quid non dixit? Quò vero hæc fabula dilucidiùs pateſcat, illis quos talia fortè capiunt, quoque defenſio hæc rectiùs procedat, objectorum capita, totamque hac in cauſa actorum & actitatorum ſeriem compendio hìc præmittere viſum. Sic ergo habe.

Præſidebat in diſputationibus Leonardus

Grinſven, S. T. Profeſſor. Conſeſſui dignitatem & pondus non minimum addebat R. P. Maes Illuſtriſſimi D. Archipiſcopi Mechlinienſis à confeſſionibus, cujus animæ, quando jam è vivis exceſſit, pacem adprecor & voveo. Auditorum adhæc ſpectatorumque confluxerat numerus ſolito major, ut ne in ullo hìc prudentum virorum induſtriam defuiſſe, remque adeo totam ex compoſito pulchrè geſtam eſſe, credere fas ſit.

Quæ in Theſi illa Seminarii Profeſſorem ex parte impetebant, hæc ferè erant: *An huic Pauli menti* (de obedientia exhibenda præpoſitis) *obtemperent, qui hìc* (Antverpiæ) *paſſim dicuntur jactaſſe, imò & quibuſdam in ſcriptis de lege & gratia dictaſſe, prohibitionem Eccleſiæ de non legendis Bibliis in verſione vernacula non tantùm jam ceſſare contradictoriè, ſed & contrariè, ſeu eſſe noxiam? Reſpondemus: non leviter hanc caſtigandam audaciam.* Hic jam Præſes publicè interrogatus: *ubi tradita eſſet hæc doctrina*, reſpondit: *in Seminario Antverpienſi*; ad hæc interrogatus: *A quo?* pro callidæ gentis aſtutia initio quidem reſponſum ſubterfugit, ſpecie famæ meæ conſulentis: at poſt iteratam interrogationem, prælegit doctrinam iſtam (pro gentis tamen more hìc certè adulteratam) è quibuſdam ſcriptis, quæ in Seminario dictata eſſe affirmabat; & quamvis nominaret neminem, at talia tamen dixit, è quibus Seminarii Profeſſorem notari facilè omnes intelligerent, eumque adeo haberent tamquam certiſſimum illius doctrinæ auctorem. Quæ quidem omnia fideliter mihi detulit, atque adeo jam nota nuntiavit, tamquam ſibi, ut loquitur, *amiciſſi-*

mo auctor Epiſtolæ familiaris de qua ſupra.

Innuit deinde paullò infra idem auctor quemdam in diſputatione vociferatum: *Me ſtipendiis eccleſiæ eſſe indignum.* Intelligo quid velit. Pater Maes poſtquàm illa, de quibus ſupra, ex Præſide fuiſſet ſciſcitatus, & convenientes reſponſiones accepiſſet, meque adeo deſignari probè omnes jam intelligerent, publicè Cenſoris Majeſtate repoſuit: *Ille talis non meretur manducare panem Seminarii.* Unde non abludit reſponſio Præſidis in Theſi dictitantis: *Non leviter hanc caſtigandam audaciam.* Quæ quidem facta ſunt ſub oculis unius è Vicariis generalibus diœceſis hujus, qui fortè fortuna aderat, cujuſque adeo dignitas hìc flocci penſa ac enormiter læſa fuit: ſiquidem ad ejus cum collegis ſuis cognitionem crimen meum, ſi quod eſſet, privativè ſpectabat; ad Jeſuitas certè nihil attinebat.

Ad hanc talem ab illo perſonato judice, aſſumpta gravitate ſpectabili, in me pronuntiatam ſententiam, tantus repentè obortus inanium vaſorum ſtrepitus, tanta vociferationum, rumorum, plauſuum, cachinnorum petulantia, ut mirum ſit, ſi per hunc tumultum non & è Seminarii alumnis aliquos torrens, ut fieri amat, transverſos egerit in inſanos indigeſtæ turbæ clamores, inque proprium Profeſſorem injurios. Quæ porro in tanto hoc tumultu convicia in caput meum jactata, quæ plebis-ſcita adverſùm me lata fuerint, quot candidatorum nigris calculis damnatus, quibus ſuppliciis addictus fuerim, quis facilè dixerit? Duriorem certè in me cudi fabam non obſcurè indicat auctor Epiſtolæ familiaris, ubi

miſerantis ſpecie, ceu amanter, adhortatur quidem, ſed ut minas ſimul intelligas, quibus ultrices inquietæ gentis ſuæ machinationes occultè denuntiat: hortatur inquam, uti ne, quippe tanti ſceleris reus, meritam *punitionem* ultrà exſpectarem, ſed ultroneâ hujus ſpartæ abdicatione privationis pœnam deprecarer, *tamquam Profeſſor emeritus jam, & alio modo Janſeniana ſacra* (ita, ſycophanta) *propagaturus.* Neque id ab inſtituto meo alienum eſſe: quippe qui tamquam non degener Arnaldi & Queſnelli filius, boni publici ergo Leodienſis Seminarii profeſſionem ſponte deſeruerim: idemque bonum, ut paria in hac cauſa faciam, nunc poſtulare; ita jam meæ in anguſtum reductæ copiæ.

Quin ſi auctori illi, eidemque amico imprimis, credimus, ad reſtim res rediit; quando jam, non modo nihil ad juridicam mei defenſionem reliquum ſit, qui, & tempus ita crudè loquendi anteverterim hòc inconſultius, quò ſæpius inter nos Janſeniſtas muſſatum fuerit illud: *Necdum venit tempus*; & dictata diſcipulis, ne admiſſi erroris, coram Ampliſſimis Vicariis convinci poſſem, eripere fruſtra tentaverim: verum etiam quando ne apologiæ quidem jam locus ſit, quam ceu ſacram anchoram, reliquis dimiſſis, tentandam præcipui Auguſtinianæ noſtræ reipublicæ anteſignani, ac nominatim Clariſſimus D. van Eſpen collatis conſiliis exiſtimaverint, ejuſque concinnandæ provinciam D. Ægidio de Witte aſſignaverint. Me quippe, cujus interim induſtriam ac eruditionem apertè extollere videtur, ei negotio imparem habendum tacitè indicatum vult. Dicas hìc Antverpiæ quod-

dam

dam Janſeniſtarum concilium ſuper hac mea cauſa habitum : at ſyncerè loquor, nec fide Jeſuitica, nihil horum. Sub tempus defenſæ famoſæ Theſeos Jeſuiticæ, aliud agens huc venerat Clariſſimus D. van Eſpen ; hinc amicus ille meus ſuſpicatur (& quid non ſuſpicetur amor) illos ſuos anteſignanos huc confluxiſſe. Sed juvat audire ipſum : *Sed, ſine enim me tibi ſyncerè loqui* (Equidem ſyncerè malim quàm Jeſuiticè) *certè doctrinam illam contineri iſtis ſcriptis negari non poteſt &c.* Sed, ſine me tibi, ô aſtutule ! aliquam vicem rependere ; me tui miſeret, quem hæc ſollicitudo tantopere torquet : ego videro.

At verò, ut ut in deſperata cauſa Apologia qualiſcumque adornari poſſet, tamen nec tutum eſſe eam in lucem emittere, tamquam ſanioris conſilii architectus, amicus idem monet : quòd per hoc majora, tum mihi, tum cauſæ noſtræ, quam alibi *Janſenianam noſtram religionem* vocat, mala accerſerem. Rationem addit ; quòd Præſidis, qui Theſim adverſùm me poſuit, ingenium noverit *præfervidum, concertationis avidiſſimum, longo uſu atque experientiâ perpolitum, audere promptum, neſcium ulli parcere.* Hem virtutes Jeſuiticas, Evangelio Chriſti incognitas ! Unde, ſimul Apologia iſta lucem aſpexerit, oppoſitum iri *ſcriptum novum, feſtivum, vehemens, aculeatum, & felle plenum.* Væ Apologiæ ex hoc vaticinio debellatæ jam priùſquam natæ ! Addit, Præſidi illi (quod fama & auditione quidem acceperit) ſæpiùs jactatam hanc vocem : *Nihil eſt, quod tam ardenter deſiderem, quam edi Apologiam Gautii : nam tunc propoſitiones, quas dictavit in Seminario Janſeniſticas, toti orbi aperire*

potero, eumque de hæreſi manifeſtiſſimè convincam. En aliud ex alio malum, quod Apologia, ſi quæ in lucem prodiret, nobis pareret.

Hic jam amicus ille, quò oſtendat, quàm facile futurum ſit Præſidi, tali imprimis ingenio, *accuratiùs etiam mea dictata pervoluturo, omnes eorum latebras & receſſus ſcrutaturo, omnes angulos & ſinus excuſſuro*, quinque famoſas propoſitiones è dictatis meis producere: ex iiſdem, quæ curriculo *percurriſſe*, atque *obiter & perfunctoriè tantùm pervolviſſe ſe* dicit, propoſitiones illas, quâ fas eſt, evolvit atque oſtendit. Quare & Præſidis *illius minas non facetas eſſe atque inanes* ſuſpicatur; *ſe certè eas commovere ac conturbare vehementer*, nempe cui nuper eram deſiderium curaque non levis: ne, *quod clam docemus* (ita loquitur ſcelus) *fiat palam*; nunc crudis amarulentiſque terminis, nec non per immodicum ac indiſcretum zelum meum evulgato tanto ſecreto ſollicitum tædium evaſi: à quo præter alia mala hinc me manentia, & Pater noſter Prior imprudentiæ pœnas exacturus ſit, qui 2. Novemb. 1690. D. de la Leu ſcripſerit in hæc verba: *Exultarem maximè, ſi tempus adveniſſet nos explicandi, & haberemus libertatem loquendi, ut magnus Auguſtinus locutus fuit.* . . . . CAVEAMUS NE PRÆVENIAMUS HORAM A DEO CONSTITUTAM. Et ego Davus ſum, non Oedipus. Ex alio loco Epiſtolæ familiaris per Patrem Priorem deſignari colligo R. Patrem Queſnel. Sed ſi hunc intelligit, aut inſigniter Jeſuita fallitur, aut ipſus comminiſcitur & fallere vult. Benignius fuerit, ſi, (ut ut Jeſuiticam fidem nove-

verimus) falli credamus, atque adeo ab hoc errore in viam revocemus. Igitur numquam ad Dominum de la Leu ſcripſit Pater Queſnel; nec nomen quidem hominis noverat ante detectam Pſeudo-Arnaldi fabulam, quæ menſe Julio anni 1691. demum in notitiam hominum venit. At me, inverecunde ſubſannator! irriſiones tuæ mordent minimè, qui, uti non temerè me pertinaci gentis tuæ perſecutioni velim exponere, quam ea, carceribus, exiliis, litteris clauſis, calumniis denique ſine fine ac modo exequitur; ita ſynceram, quam ex purioribus fontibus hauſero, Chriſti doctrinam, ubi res feret, vel te frendente, non abſcondam nec erubeſcam, ne hiſce malis infeliciùs erubeſcar.

Quin & alibi, poſtquam Propoſitiones quaſdam Bajanas à me hìc illic apertè tradi dixiſſet, amiciſſimus ille, peramanter certè, me monet, monet, inquam; quomodo *Profeſſor ille Jeſuiticus, ſi qua pro me Apologia ederetur, arriperet inde occaſionem traducendi me tamquam Janſeniſtam apertum jam, minimèque dubium, tamquam* PESTEM *Seminarii, tamquam ſtudioſæ juventutis* CORRUPTOREM, PERNICIEM CLERICORUN, *& certiſſimam Antverpianæ diœceſeos* CALAMITATEM.

Pulchra ab amico elogia! Videre videor Joab Abnerum ſub oſculo confodientem. Quid igitur attinet refrænandis ſceleribus ſancire leges, hoc hoc tali morum formatore? At enim ex propria hìc confeſſione vide-ſis, ut Jeſuitæ ex levi cauſa avidè occaſionem opprimant, tam non leviter alios traducendi.

Hic ferè redeunt, quæ in me deblaterat auctor Epiſtolæ familiaris, in qua & hoc in-

tranſcurſu obſervatum mihi ; ut in Epiſcoporum ſe magiſtrum Jeſuita petulanter erigens, Vicariatum noſtrum egregiè alicubi officii ſui admoneat : id quod uſquequaque vigili &attentæ eccleſiarum omnium ſollicitudini attribuere convenit. O Præclara Eccleſiæ columina !

Operæ eſſet ſcire, cui tot præconia, tot monita, tot tamque amicas in rem meam ſollicitudines, prope paternas dixerim, debeam. At ille tantus imprimis amicus latebras quærit, modeſtiæ ergo, an adverſariorum meorum metu, fruſtra quæſierim. Latitat interim, nec diœceſis Sigillifer, diligenti in autorem Epiſtolæ, pro munere, inquiſitione habitâ, quidquam hactenus certi, quod quidem ſciam, detegere quivit. Hoc ſcitur, quod idem Sigillifer antehac Præſidem illum Grinſvenium de mandato Vicariatus alloquens, id ab eo reſponſi tulerit : ſe aliquid hac de re publici juris facturum. Forte an editâ hac præclarâ Epiſtola fidem liberaverit.

Eam certe Jeſuitarum alumni pro conſueto in Scholam ac magiſtros affectu, dicam, an ſtolido impetu, non ſegniter ubique venditarunt. Equibus unus aliquis, qui eximio quodam zelo ſe præ cœteris hic nobilitavit, ac tamquam ſedulus proxeneta, famoſæ Epiſtolæ familiari venditores emptoreſque conciliare velis remiſque contendit, ſilentio hic mihi prætereundus non eſt. Is eſt Virgarii (ita vocant) Capituli Antverpienſis filius, qui à fratre profeſſoris Seminarii jam olim eccleſiaſtico beneficio in Cathedrali Antverpienſi donatus, exinde Societati Jeſuiticæ adſcribi ambiit & impetravit ; ſolidamque ibi noctem commoratus, mu-

mutato propoſito, mox pedem retulit. Hinc, quaſi, gratitudinis obliterato ſenſu, ſpiritum pervicacem ſubitâ loci contagione hauſiſſet, ille unius noctis Jeſuita vel potius noctua Jeſuitica, ſolâ Jeſuiticorum magiſtrorum authoritate ſubnixa, tam enormes adverſùs nihil malè de ſe meritum calumnias diſſeminare, obfirmato adverſus honeſtatem animo allaboravit. Tantùm, ceu ex opere quodam operato, ſi ita loqui fas eſt, vel una nox Jeſuitica poteſt.

Igitur evictum maneat, de quo & aliunde ſatis ſuperque conſtat; Epiſtolam familiarem eſſe fœtum Jeſuiticum.

At ipſe tenuiori ſe velo obduxit autor Epiſtolæ, ut nec longâ conjecturâ dubiâ-ve retegi poſſit: quippe qui penitiora quæque præſidis Jeſuitici conſilia tam accuratè novit, qui, quod Præſes facturum ſpoponderat, *de propoſitionibus, quas dictaverim, Janſeniſtis toti orbi aperiendis*, ipſe, quà potuit, effectum dedit. Imò nonne larvam ſponte ponit perſonatus ille amicus, dum, non minus ac Præſes in elogia illa mea feſtinat? Quin &, ceu tantæ gloriæ æmulus, inſuper etiam habito, quam finxerat, amicitiæ decoro, hanc ei palmam præripit? An ergo hìc, quem quærimus, latitantem amicum reperi? Non ineptus certè videar, ſi autorem Epiſtolæ, ab diſputationum Præſide, cujus ille ingenium ſtylumque tanto vehit opere, exiſtimem eſſe non diverſum. Si fallor, & Eleutherius Gratianopolitanus forte vicariam ei operam accommodavit: animo meo ægrè erit, tam nobile tantâque eruditione conſpicuum ingenium ad tam ſcurriles injurias demitti. Ut ut ſit, fas ſit, ut tam pulchè ſuccinentes & mutuis auxiliis fretos tam-

quam unum nomen indiſtinctè compellem, ac integram ſubinde in meam meique ſimilium perniciem conjuratorum factionem comprehendam.

Porro lectorem, ne aliàs poſteà mecum expoſtulet conceptâ ſpe excidens, id præmonitum volo, me hìc in ſola calumniarum depulſione verſantem ac per ignes ſuppoſitos cineri doloſo incedentem, harum controverſiarum capita monſtraturum quidem, ſed non pertractaturum; ne diſputationis calore abreptum uſquam ceſpitare contingat aut impingere: memorem comprimis, quòd, quæ quietis ſe mentibus aperire amat, altercando veritas amittitur: ſubveritum quoque, ne adverſarius ubique præſens, quippe cui Legio nomen, aliquid ab obnoxia urbe in abſentem detonet. Quid, quod ut res nunc habent, à dementia prope abeſſe videri poſſit, ſi quis è Clero ſuper aliquo controverſæ doctrinæ articulo diſputationis ſerram reciprocet cum ea gente, quæ jam prope infallibilitatem ſibi aſſeruit, eamque brachio ſæculari probè armatam. Quid igitur fiet nobis? hei mihi! Et ſi non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: at video tamen adrepentem ſub imperioſa ac immiti gente ſervitutem, ſub qua vel hunc Domitorum orbis morem fruſtra ſuſpirabimus: *parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.*

Opus propitiis, quod precor, ſuperis aggredior, etſi timidè, cùm præ his viribus, tum & laudes ſpectans, quibus aut mulus mulum, aut fortè Præſes ille ſe ipſum ſcabit; ad quas ubi animum adverto, ſuccurrit elegantiſſimi auctoris, quique Jeſuitarum mores altùm perviderat, huic rei appoſitus locus. Ubi poſtquam va-

varias Jeſuitarum, quos ſub alieni nominis larva in ſcenam producit, recenſuiſſet artes, quibus ad tam immodicam ſcientiæ famam evecti ſunt, ſubdit deinde: „ Acceſſit induſtria cal-
„ lidiſſimæ gentis, quæ ſeſe ad exiſtimatio-
„ nem mutuâ commendatione protrudit,
„ & in alibi orientia ſydera levi deſpectu
„ & veluti faſtidio, etiam malignâ laude,
„ perniciofiſſimam nubem exhalat. Nam
„ & hominum generi dominantur, inepto
„ quidem aut inſano, ſed ipsâ multitudine
„ impetuque valenti. Si placet, ſciolos ap-
„ pellemus. Hi ſuperbo, nec capaci inge-
„ nio rumores, quos ab (Jeſuitis) acceperunt,
„ tamquam ſecretæ rupes, multiplicato tu-
„ multu referre, ſtolidâ pertinaciâ, aſſue-
„ verunt. Tantæ quoque juventutis, quan-
„ tam ipſi excoluerunt, obſtinatis ſuffragiis
„ nituntur, dum ſe omnes ab eruditiſſimis
„ edoctos ſupervacuâ vanitate contendunt.
En tibi noctuæ noſtræ Jeſuiticæ eique ſimilium per totum pœne contextum ſcitè delineatam imaginem. Quin & diſcipulos, quicumque ex hac ſuperbiæ ſchola, ceu equo Trojano, prodeunt, pulchè magiſtrorum vanitatem referre, oſtendit idem auctor, cùm alibi dicit: „Quòd eorum ſcho-
„ la nullum diſcipulum non ſuperbiſſimum
„ dimittit, & qui aliquem ultra ſe magi-
„ ſtrumque laudaret.

Hac igitur inter alias, quas ingenioſiſſimus idem auctor, tum etiam & alii fuſiùs recenſent, artes, Societas illa, occulto Dei judicio in Eccleſiam ingreſſa, ad tantum potentiæ faſtigium ex obſcuris incunabulis ſubitò emerſit, ut eam potentiam ipſi, qui extruxerant ma-

gnates timere tandem cœperint: jamque rerum ſucceſſu ebria & quidlibet audere impotens, impunè inſultet quibuſcumque, ut quiſque gentis legi cervicem ſubmittere refugit; meque adeo jam ipſe miror, qui tantillus homo, humi ferè repens, neque tanto illi Societatis ſplendori tenebras offuſurus, meruerim à tantis viris impeti, ac oblivioni ferè traditus in apertam lucem produci. At me tamen illi Semidei aggrediuntur, indignum etiam quem ſuperent, quippe victoriam maculaturi ignobilitate certaminis.

Ut tamen, vel maximè irâ ſua dignum crederent, ſcirent ſaltem cur hæc in eum efferveſcat, qui Societatem laceſſivit numquam. Nullum enim acerbitatis argumentum in dictis dictatiſve meis, aut iniquæ mentis veſtigium.

Quocirca, quando nullo meo merito tam indignè habitus ſum, ſicubi in injuriarum depulſione adverſarium cedentem, (niſi quod cedere neſcit) longiùs aliquando proſequerer, aut tam inſolentibus convitiis exulcerati animi dolori quidquam per imprudentiam excideret, æquiùs lector, ut ſpero, rogatus atque non rogatus ignoſceret. Adverſarius qui, cùm ad aſperiora ultrò provocet, Apologiam tamen tam *ardenter deſiderat*, gratiam etiam debebit. At mihi certum moderationis potius, quàm injuriarum meminiſſe, nec tam ſpectare quid ille mereatur, quàm quid me deceat.

Equidem pacis, quàm hujuſmodi conflictationum amantior: adhæc hinc tenuitatis meæ conſcius, inde tanti illius adverſarii ingenium ſtylique vehementiam conſiderans, atque adeo

eo

eo timori quàm ſpei propior; quoties tantorum virorum ſubit, quoties Gigantum illorum ſpecies menti obverſatur, ægrè ab animo meo impetro ut cum adverſario manus conſeram; neque tam in arenam deſcendo, quàm protrudor invitus. Sequamur interim, quando oportet. Atque, ut ſub concurſus initium aliquid cum adverſario paciſcar, ingenio ſtyloque vinci patiar: at æquitate cauſæ confiſus audebo aliquid cónari, ac ſin minus eruditis illorum auribus digna, vera certè; nec fortaſſis inutilia dicturus, argutos inter ſtrepere anſer olores.

Priùs tamen, quàm apertum defenſionis campum ingrediar, ſex aliqua mihi depellenda video, quæ tametſi nonnullis leviora videbuntur, quàm pro re; at mihi tamen operæ erit aperire, quid ex eis commodi venetur adverſarius, idque ei, ſi fieri poteſt, eripere.

Primum eſto: Quòd Epiſtolæ pag. 6. ſub finem dicit: *Nos veteranos* (Janſeniſtas) *didiciſſe cenſuras Eccleſiaſticas non curare.*

Secundum: Quòd pag. 11. recenſens detrimenta, quæ *Janſeniana noſtra* (ita ait) *religio facit, dum è noſtris aliquis moleſtia afficitur*; ex perſona Janſeniſtæ id malorum maximum æſtimet: quòd *tum triumphant Jeſuitæ cum tota Cappadocia.*

Tertium: Quòd eadem pag. 11. Leodienſis Seminarii tragœdiam in memoriam revocans, mihi vitio vertit, quòd, cùm per Jeſuitam Sabran, quaſi novum jam Præſidem, *licuiſſet in Profeſſoris munere remanere, ſi mutationi, quam Sereniſſimus Princeps fecerat* (imo quam Jeſuitæ malis artibus optimi Principis religioni obrepentes fecerant) *voluiſſem ac-*

quieſ-

quieſcere, hoc facere recuſarim, & me potius bonum publicum velle, reſponderim.

Quartum: Quòd invidiæ creandæ ergo, ſparſim per Epiſtolam varios mihi viros objicit: Clariſſimum Dominum van Eſpen, quem (ut vidimus) cum aliis Auguſtinianæ noſtræ reipublicæ anteſignanis huc confluxiſſe fingit, diſpecturis, quid in hac tam deſperata cauſa mea poſſet adferri remedii; D. Gilbert & Eugenium van Gelre; Ægidium de Witte; Janſenium magnum illum noſtrum, ut ait, Patriarcham, quem & Calvino ſupparem facit; Abbatem Sancyranum; Arnaldum quoque & Queſnellum, & quid non?

Quintum: Quòd paginis 5. 9. & 23. multa ineptit de exoptato illo, ô Scelus, liberiùs loquendi & arcanam noſtram (id vult) doctrinam publicitus profitendæ tempore, ſeu HORA A DEO CONSTITUTA, quam & à me imprudenter anteverſam, ex perſona Janſeniſtæ ipſum velle, ſupra vidimus.

Sextum & ultimum, quod jam referendæ gratiæ argumentum ſuppeditare videri poſſit, eſto: Quòd diſputationum Jeſuiticarum Præſes nomen meum identidem rogatus ſubticuit, tamen, ut pro hac civilitate ei debitor videar, qui famæ meæ ſic conſultum voluerit.

Addi poterat Septimum: Quòd pag. 22. ceu rem notam moneor: *Quanti noſtrâ* (Janſeniſtarum) *interſit, ut quod clam docemus, non fiat palam.* Sed qui in Antverpienſis Seminarii Schola dioceſeos pubem publicè ſub oculis Antiſtitis aut Vicariatûs inſtituo, non video, quid id ad me pertineat; quando ſicut doctri-

nam

nam meam celare minimè vellem, ut poſſem, (abſit hoc ab animo Chriſtiano) ita ne poſſem quidem, ut maximè vellem.

Eo igitur neglecto, uti & quod de ululatu in Gyneceis recenſet pag. 11. quod fortè aliquem mihi dicendi campum aperiret, quando hac parte lautiùs cum Jeſuitis quàm mecum aut mei ſimilibus agi nemo dubitaverit, his, inquam, neglectis, ſex prætacta ordine excutere ſuffecerit. Nam quod pag. 5. dicit: Quòd adverſarii noſtri (Jeſuitæ) ubi amarulentos crudoſque terminos meos exagitaverint, *nos* (Janſeniſtas) *violatæ & epiſcopalis & pontificiæ poteſtatis redarguent apud imperitam plebem*, QUÆ AUTORITATES ILLAS SOLET JUSTO AMPLIUS VENERARI: id verò, ceu altiori indagine dignum, alteri loco commodiùs reſervabo. Hîc tamen in tranſcurſu obſervare liceat tribunal, quo res Jeſuitica non parùm firmatur & ſtat. Nempe *plebem* per ſe inſanam inconditis clamoribus ampliùs dementant, ac in viros bonos exaſperant, quem in finem commodùm ipſis uſu venit vaga Janſeniſmi criminatio. Sed ad id quod inſtituimus.

Primum quod attinet: Si Janſeniſtæ, quos vult, cenſuras eccleſiaſticas non curant, ipſa ſtoliditate ſtolidiores dixero: nempe eam ſententiam dedoceri potuere, dum vident quas vexationes atque moleſtias, accurantibus Jeſuitis, odioſo hoc nomine, cœtera ſpectatæ probitatis viri ſufferre cogantur, ob cenſuras eccleſiaſticas, & tales quidem, quæ, quòd formulis & conditionibus à jure præſcriptis ac ad valorem requiſitis deſtitutæ ſint, omni prorſus vigore ac robore inanes cenſendæ ſunt. In me

me certè, ſi Antverpienſis Vicariatus qualemcumque cenſuram vibret, quid præſidii uſquam inveniam? Ubi locorum aliunde à Jeſuitis pulſo aſylus pateat? Curant certè atque adeò malè etiam timent cenſuras eccleſiaſticas Janſeniſtæ, quos vocat, & meritò quidem hoc pejùs, quòd non perinde ut aſſeclæ Societatis gentis illius præſidio muniti ſint, quos eadem Societas adversùs omne cenſurarum genus impenetrabili ſcuto armat, meliori quàm aut Thetis Achilli, aut Venus Æneæ tradidit; ut hinc oppidò pateſcat, quanti Jeſuitæ ejuſmodi cenſuras faciant. Aſſerto meo fidem facere poſſit inſignis Eccleſiæ Antiſtes, qui, ſi fides tot ſcriptis hac certè in parte non refutatis, cùm ſoli Jeſuitæ conſcientiam ejus regerent, 17. aut 18. annos ſolidos, etſi Romano fulmine percuſſus ac Pontificia excommunicatione innodatus, degit tamen ſecurus. Sed quid facias? A Jeſuitis confictæ criminationes, ut ut centies evictæ, tamen, ceu in rem judicatam tranſiſſent, fidem inveniunt, dum interim quidvis eis oppoſitum, quantumvis verum ac ſatis jam ſuperque probatum, vel ſolâ Janſeniſmi extrinſecâ denominatione exploditur. Nimirum, id quod ex ſupra laudato auctore audivimus, alumnorum, non impudentiâ ac ferociâ minùs quàm numero valentium, innumeris ſuffragiis ubique juvantur. Nihil igitur mirum, ſi indomitus calumniandi animus, conſuetudine tot inultis opprobriis ſancitâ, erectus, ut *audere promptus* eſt, ita nihil non audet, quando omnia poteſt. Sed cenſuras quod attinet, Jeſuitam mittamus ad eruditum de iis Tractatum Hiſtorico-Canonicum recenter excuſum, ubi ex

ſuiſmet autoribus, quando non alios faſtidioſus ac triſtis cenſor admittit, ſolidè deductum inveniet, quouſque curandæ aut non curandæ cenſuræ. At, ut per hanc occaſionem de Jeſuitarum auctoribus illud hîc addam, ô tempora, ô mores, quò profundi miſerè delapſi ſumus? Itane nunc eſſe, ut veritatem tueri vix detur, niſi Jeſuitas teſtes adducamus; ut vix ipſe Chriſtus apud Chriſtianos locum inveniat, niſi ab inimicis gratiæ ejus commendetur? Tantùmne laborum in immenſis eorum auctoribus evolvendis exantlandum, ut inter tot perverſa dogmata, ſi quid boni illis exciderit, id ſedulò excerpatur; quò quas veritati tenebras illi affundunt, diſcutiantur; quæ illi ubique turbant, in meliorem ſtatum digerantur. Sed hæc hactenus. Inſtitutum perſequor.

Secundum quod ſpectat: Id genus ineptiæ ne imprudenti quidem excidunt, quando nec ex aliis auditæ admodum delectant, cui certum, Tros Rutiluſve fuat, nullo diſcrimine habere, ac bonos omnes ſub cucullo lateant, an pallio, etiam Jeſuitico, quod nec ipſum tam pretioſi depoſiti expers autumo, ſine fuco indiſtinctè venerari. Sed videre videor callidæ vulpis inſidias; dum hinc mihi invidiam creare annititur, quaſi Regulares per contemptum ſic nominem, quorum adeò contra me ſuffragia tacitâ adulatione ſollicitat: ipſe interim, nec vana fides, ſe & ſocios in principiis hîc inveniri lætatur, tamquam, quod per alumnos ſuos effusè jactari amant, Regularium florem, primamque nobilitatem, quos inter tantùm ſe caput extollere credunt

&

& credi volunt, quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Ad Tertium dum accedo, obductum jam vulnus recrudeſcere ſentio. Quia tamen oportet, ſic habe. Jeſuitæ armatâ militum manu Seminarium iſtud, ceu hoſtile quoddam munimentum invaſerunt, irruperunt, uſurparunt, innocentiſſimis, (abſit jactantia) è Clero presbyteris inauditis per vim meram extruſis; licèt ex eorum numero eſſet, cujus familiæ in id Seminarium hodiedum ibi monumenta viſuntur. Unde per hunc tumultum repertus, qui rei indignitate commotus, cùm verſum effunderet, Catenam (id Seminario nomen) magnis furibus mercedem eſſe ſolere diceret: etſi me talia non capiunt. Sed ſi adverſarium facinoris non pudet; & cujus Jeſuitam pudeat? ſufficiat ſaltem infelicem reddidiſſe, quamquam quid animô Chriſtiano præter unum peccatum infelix videri poſſit? Sufficiat inquàm loco deturbaſſe; at quid attinet, de ſævitia cum feris contendere, atque adeò etiam ſuperare, quando nec leoni fabulæ id uſu venit? Quid opus, inquam, proſtrato inſultare? At ego mutationi in Seminario ita factæ non acquievi. Fateor, nec pœnitet; imò injuſtam uſurpationem exſecratus ſum, & uſque exſecror, omnem, ſi qua eſſet, Jeſuitarum conſuetudinem ejuraturus citiùs, quàm deſertis Cleri ſæcularis vexillis ad injuſtitiæ & iniquitatis caſtra transvolare: præoptans quoque pertinaci obtrectatorum maledicentiæ exponi, ac denuò atræ loliginis ſucco, aut Grinsvenii *felle* perfundi, quàm impium transfugam aut vile mancipium Jeſuitico oleo impinguari. Securus, utcum-

que

que utriuſque ſæculi tribunalia ſollicitent, numquam tamen animi benè conſcii fiduciam territuros. Edidi ingenuam confeſſionem.

Quartum ut exſequar: Quò mihi tot illos viros objicere? Omne, ut video, arbuſtum hic laqueos tegit, ſub omni herba latet anguis. Ad hæc ſi vel hiſco, ſuis me mox vinculis, ſupra vulcanios hærentibus dolos, induit adverſarius.

Si, inquam, ex his viris quemquam ſine convitio vel nominaverò, Janſeniſmi manifeſto, & quod confeſſi vim habeat, indiciò convincor. Quos enim peſtilentiſſimâ, quam aſtris alibi probitate ac eruditione fulgentibus afflant, nube obumbrant, horum ſine pari cum ipſis convicio aut faſtidio vel mentionem facere, grave Jeſuitarum Prætorium certo Janſeniſmi ſupplicio vetat. At tantillus ego, ne hic quidem Philiſtæi monſtri hâc tali panopliâ ferocientis congreſſum detrectem, de ſingulis, etſi mea res hic non vertitur, prò modulo dicturus ſum. De D. van Eſpen ante dicere cœperam. At verò & in hunc virum, in quo vel Zoilus reprehendere quidquam vereatur, aſpis illa, ô ſcelus! venenatam linguam vibrare audeat? Eum ego ſi in quoquam negotio conſuluiſſem, id verò nec pudendum mihi, nec pœnitendum arbitrarer. D. Gilbert & Eugenium van Gelre vix ex nomine novi. Hic, ut auditione accepi, aliquando Lovanii in D. Petri Eccleſiaſten agens, Jeſuitas (quod ego hic non præſto) tamquam Novi Teſtamenti Phariſæos cum illis Veteris Teſtamenti, veros utique cum umbraticis compoſuit, id quod ille ex teſtamentorum illorum analogia oſtendere ſatagebat. Obque hoc fors

eſt, ut Jeſuitarum iram perſecutioneſque meruerit. Quale quid & de D. Gilbert facilè ſuſpicer, etſi de hoc nihil certi, quod dicam, habeo. D. Ægidium de Witte ob probitatem juxta ac ingenium ſtylumque ſuſpicio, etſi nulla cum eo neceſſitudo intercedit; cumque aculeos, non minùs quàm aculeatus hic noſter Præſes, habeat, etſi pro candore ſuo injuriarum abſtinentior, prudenter & minori certè diſcrimine me potius Jeſuita, ut facit, quàm illum impetierit.

At Janſenium jam, quem Theatralem Patriarcham impudens Jeſuita facit, quis adeò temerarius ſit, ut non adſcripto gravi convicio nominare præſumpſerit? Mihi verò, tametſi Hæreſiarcharum, quotquot extitere, peſſimum arbitrarer, ſufficeret impotenti Jeſuitarum furori dilaniandum diſcerpendumque tradidiſſe. Quippe quos in rabiem actos video, quando me nihil de ſe tale meritum, velut Janſenii ſectatorem, cujus nihil unquam defendi, tot inauditis conviciis immaniter dilaceratum volunt. At quis ferat eximium eccleſiæ Antiſtitem in ejuſdem communione mortuum cum Calvino hæreſiarcha à futili Jeſuita tam inſolenter componi? At hic perpetuus gentis mos. Unde & riſimus non ita pridem, ſed riſu ſardonio, alium ejuſdem Sodalitii non inſcitum hiſtrionem, quò melius ſimplici popello fucum faceret, in Collatione, quam vocant, hinc Janſenii, hinc Calvini imaginem in ſuggeſtu expoſitam, concioni ſpectandam exhibere. Et ad hæc mutos eſſe reliquos eccleſiarum Præſules! Sed ferream ferroque vindicandam legem tulit formidanda Lojolæ reſpublica. Hanc prævaricari nefas.

Et

Et quam tandem in Janſenium tantopere rabiendi cauſam fuiſſe exiſtimabimus? An urit eos Parallelum Jeſuitarum inter & Pelagianorum Semipelagianorumque de gratia Chriſti doctrinam, quod in ejus Auguſtino contineri fertur? At videant tunc ne in ipſo alienum facinus ulciſcantur. Ego certè quemdam ex illuſtri, in hiſce partibus, Capitulo ſenem, integritate vitæ nec vulgari eruditione ſpectabilem, narrantem audivi: ut ipſe in juventute cùm fervebat ſacer ille Jeſuitarum in Janſenium zelus, interfuerit diſputationi Jeſuitam inter & quemdam è Clero presbyterum, utque Jeſuita huc tandem adactus fuerit, ut diceret: *Si Janſenius noſtrorum nomine abſtinuiſſet, poterat cum cæteris lumen videre.* Hoc ergo, hoc grave illud Janſenii crimen fuerit: nempe quemadmodum multis malè cecidit magna numina non ritè coluiſſe, ita ſacroſanctam Societatem non ut decet attingendo, in ſuum caput, nulla expiandum victima ſcelus admiſerit.

Abbatem Sancyranum per pia juxta ac erudita opera novi, ac veneror virum famâ ſuper Jeſuiticum æthera notum. Eundem eſſe ſuſpicor cum Petro Aurelio, à quo priſcæ mihique ſacræ epiſcopalis juriſdictionis, contra frivolas ſociorum vitilitigationes, ſtrenuo aſſertore, dum ſocii ſui vapulant, Jeſuita ringitur, ego rideo. Arnaldos denique & Queſnellos objicit, viros quos nec horridus carcer obſcuret, at mihi tamen nec facie nec litterarum commercio notos. At ſi nec poſt fata Jeſuiticus livor quieſcit, quid tamen adhuc infelicibus auſis famam illam jam invidiâ altiorem dehoneſtare aggreditur? Quid ultra

ten-

tentat ingenui vultûs honorem improbitas muſcæ fœdare? Ceſſet tandem aquilam fœdus ſcarabeus inceſſere: deſinat, inquam, ſtrenuum eccleſiæ pugilem mordax obtrectator arrodere; niſi quòd in ſolidæ laudis cenſum venit, ab improbis improbari. Queſnellum cum elogio, quo vellem, nominare, viri modeſtia vetat. Utinam tamen cum illo potiùs quàm cum hoc meo adverſario in alia vita partem inveniam! Niſi qua mutatio incidat, quod de illo, ſalvo virtutis progreſſu, nec voveo nec ominor; de obtrectatore hoc ex animo voveo, utinam aliquando & ominer! Sed quid ego tot hìc viros recenſeo, quando meæ opis non eſt eorum cauſam aliquà ſublevare, fortè, ceu ad me non ſpectantem, nec velim? An me ille tartareæ maledicentiæ ſuæ participem vult, etſi æterni illius ac pluſquam Vatiniani odii, cujus in quemcumque etiam Chriſtianum cauſas procul habeo, expertem? Fallor an & hinc obtrectandi anſam arripiet; ſed Jeſuitam ſuis ſordibus devoveamus, & quæ ſuperant exſequamur.

* At verò, ut ad Quintum veniam, quid ſibi vult veterator ille, dum illud, ceu mihi aliiſve identidem jactitatum, ambitiosè effutit, & hanc cramben ſæpius recoquit: *Necdum venit tempus*, aut cùm me mihi perſuaſiſſe dicit, optatum illud cerebri ſui tempus adveniſſe? Parcat lector, cujus patientiâ juxta ac otio, in re vulgari ac trita verſans, ſed adverſarii importunitate victus, abutor. Scio & nimiùm ſcio, altùmque jam inde ab horum ſtudiorum incunabulis animo meo inſedit, quod & alumnis identidem inculcatum mihi: impietatis tempus ſemper eſſe paratum, pronum-

que

que hìc (quo & regii Vatis pœnè moti ſunt pedes) improbitati in virtutem infelix regnum & fatalis poteſtas; quando interim ſynceros Evangelicæ doctrinæ ſectatores, ex neſcia fallere magiſtri ſui promiſſione, non alia in hoc mundo ſors manet, quàm continuis perſecutionum procellis exagitari; donec ille, HORA A SE CONSTITUTA fractis hoſtium omnium opibus, cuncta ſibi ſubdet, & ſecuram probis omnibus pacem, cum bonorum omnium cumulo in omnem æternitatem conſtabiliet; cujus & ego, & adverſarius nunc meus mecum, utinam participes aliquando evadamus: Amen, Amen.

Sextum denique & ultimum ut exſequar: Quòd Griusvenius nomen meum identidem in diſputatione rogatus, ſubticuit tamen: craſſioris Minervæ artificio, quàm pro callidæ gentis dignitate, moderationis laudem venatur: niſi, vel hâc neglectâ, lædere modò animus fuit. Nam & facinus hâc arte paret atrociùs, & ſilentio ſtimulata curioſitas altiùs in animum demittit, quod acriori indagine per ſcrutinium hauſit, quàm ſi quid induſtria vel imprudentia narrantis apertè effudit. Ad hæc ne de fide quidem deterit, dum aſcititiæ moderationis ſpecies pleniorem fidem ſponte depoſcit. Dignum enimverò ingenioſâ Societate facinus! moderationis, ut ſaltem apud imperitos, laudem nanciſci, nec de lædendi voluptate quidquam accìdi. At verò operam ludit amicus, dum in Epiſtola familiari tam dilucidæ noctis tenebras diſpellit. Quis enim dubitavit in hac me fabula utramque paginam occupare, ut quem, vel tacentibus Jeſuita-

rum alumnis talium ſecretorum conſciis, tot alia indicia pulchrè deſignabant?

Sex illis, quæ à lectore præmittere poſſe ſtipulatus eram, ordine exactis, ceu ramis, qui primariæ defenſionis filum interrumpere poſſent amputatis, ad ipſum quaſi truncum ac præcipuæ accuſationis depulſionem propero. Eam verò, ſive publicas illas Jeſuitarum diſputationes, ſive Epiſtolam familiarem inſpicias, bimembrem eſſe paret. Alterum membrum pertinet ad doctrinam meam de lectione Bibliorum in lingua vernacula, aut, ut preſſiùs dicam, de regula quarta Indicis: unde prima mali labes & protaſis fabulæ, indidemque tantorum clamorum exordium. Alterum, quod famoſam Epiſtolam potiſſimum concernit, ad quinque propoſitiones Janſeniſticas, ut vocat, è dictatis meis (ita enim placet) jam erutas atque orbi demonſtratas. Baianarum propoſitionum, quas hîc illic apertè, ut etiam criminatur, tradiderim; quando nullas ille deſignat, hîc fruſtra meminero. Duo ergo hæc habet, ob quæ tantoperè reus agor. Videamus quàm rectè.

Atque ut à ſecundo ultimoque adeo membro de Janſeniſmo mihi impacto auſpicer; ecce hic iterum canis ad conſuetæ calumniæ vomitum reverſus, dum unius fruſtrato ictu, ad aliud ſuccedaneum, nec jam victoriæ anceps telum, non minùs parcere, quàm cedere neſcius Jeſuita ſe confert. At verò hìc Rhodus hìc ſaltus. Meam illam de regula quarta Indicis doctrinam ſolam in crimen adduxit. In hanc, imò ob hanc, in me ut autorem, illam tam non mitem ſententiam Jeſuiticus Prætor pronuntiavit. Hanc tantam accuſationem pri-

imùm exſequatur, hoc tantum crimen priùs
obet, aut obtrectatorem ſe fateatur, revo-
tque criminationem, quàm ad hanc ſecun-
m me vocet, non ingratiis, coram meo uti-
ıe judice, ſecuturum. Quia tamen in ſe-
ında hac accuſatione canis feſtinans (*obiter*
ntùm ac perfunctoriè percurrens) cœcos pe-
rit catulos, adverſarium ad iteratum exa-
en remitto, alteram nobis collatarum &
on collatarum, concordantium & diſcor-
ntium propoſitionum farraginem elaboratu-
m. Dignam profectò malè feriato Jeſuita
:cupationem! Caveat tamen rurſus cœlum
ſum ſtultitia petere, & veritati, cujus in-
:ns vis, malè detortis Pontificum placitis,
ıdacia vincula, quaſi captivaturus, injicere.
terim dum ille hoc piſtrinum verſat, rem
ihi meam agere tutò liceret, & hac negle-
â ad primam accuſationem, ceu totius hujus
ınflictationis baſim aut caput, regredi.

Verùm enimverò amicum amicè, ſed ma-
ri candore moneamus eum hìc oleum ope-
mque luſurum. Qui enim ille in dictatis
is meis quinque famoſas propoſitiones re-
:riat, quibus ego omnibus & ſingulis ibi-
:m ſtigma inuſſi; quas expreſſè atque adeo
ıaſi in terminis rejeci repudiavique, ac ab
nnibus rejiciendas repudiandasque ſatis a-
:rtè docui?

Si tantoperè conſequentiis illis, quas è
ctatorum meorum locis, hinc inde aut
ſulteratis aut à reliquo coutextu avulſis,
iberali diſputandi modo elicit, confidit: me-
inerit ſe nihil à majoribus ſuis alienum fa-
re. Siquidem Pelagiani Semipelagiani-
ıe jam olim, è propugnatorum gratiæ

 Chriſti,

Chriſti, atque adeò ex inconcuſſis D. Auguſtini dogmatibus, conſequentias eruere anniſi ſunt hiſce adverſarii tam ſimiles, ut nemini ſuum ſpeculum ſimilius eſſe poſſit. De quo aliàs fortaſſe dabitur dicendi locus. Quid, quòd ſimilem quamdam cum hoc noſtrò conſequentiam contra ſe formari poſſe, ipſe gentium Doctor divino Spiritu prævidit prædixitque? Qui huic oris ſui divino oraculo: *Non volentis neque currentis, ſed*
Rom. 9. *miſerentis eſt Dei. . . . . . cujus vult miſeretur & quem vult indurat*; mox ſubjicit: *Dicis itaque mihi quid adhuc queritur? Voluntati ejus quis reſiſtit?* Tales nempe ſunt, quos pro verſatilis ſuæ gratiæ defenſione tanto ſtudio Jeſuitæ emulantur. Et igitur mirabimur Societatem, ubi ingentibus à ſe concitati orbis machinis Janſenii Auguſtinum damnatum habuit, hoc ſucceſſu ebriam & quidlibet jam ſperare impotentem, ipſam D. Auguſtini doctrinam, aliquando ſollicitaſſe, & ſuppar aliquid adversùs eam alto ſpiritu concepiſſe? Quin, quod orbis ſtupeat, nonne accepimus inſanientis ſapientiæ conſultum Jeſuitam, patrum memoriâ altùm ingemuiſſe; quòd Apoſtolus hæreticis, Calvinianis & Janſenianis defendendi ſui arma ſuppeditarit in divina ſua ad Romanos Epiſtola. At, ô mortalium in Deum audaciam! quis crediſiſſet, in fine ſæculorum, in ipſo Eccleſiæ gremio exorituram gentem, quæ Doctorem gentium inſtituere, quæ Spiritum Sanctum (horreſco referens) circumſpectiùs loquendi prudentiam edocere velle videretur? Ad adverſarium redeo, & inficetas, quas denuntiat, Socii ſui minas adorior.

Tu

Tu igitur, ô Jeſuita! quiſquis es, *Janſeniſmum meum toti orbi aperias. Tu me de hæreſi manifeſtiſſimè convincas.* At hìc franges tumentes fluctus tuos. Nihil ego, quidquid ſive tu, ſive ſocius tuus deblateret, tradidi aliud, quàm Lovanienſis Thomiſticæque Scholæ doctrinam, totâ antiquitate ſubnixam. Ego, inquam, ad inclytæ Lovanienſis Scholæ morem ac normam, intra Scripturæ & Traditionis tropicos, me continens, medium inter utramque peſtem ita curſum, aſpirantibus ſuperis, inſtitui; ut hinc, caninis Jeſuitarum oribus toties *quinque, quinque* latrantem, famoſarum propoſitionum Scyllam, inde Moliniſticam Charybdim, certiſſimam ſyncerae pietatis voraginem declinarem. Et tu, ô futilis magiſter! hanc talem doctrinam (quod unum modò ſub Janſeniſmi, modò ſub Calviniſmi prætextu Societas tua agit) argutiis tuis convellere ſtudeas! Suis illa præſidiis tuta eſt, ceu ſtet firmis radicibus arbor. Neſcit conjurati orbis molimina, quæ cuncta triumphare amat Spiritûs Sancti gratia. Et te ob hanc doctrinam mihi, quaſi canino ore adlatrando, tot hæc maledicta ingeminare: PESTES, CORRUPTELAS, PERNICIES, CALAMITATES? Atqui abſque eo erat ut aliunde ſatis pateſceret, ubi habitent, qui, ut Plautus. Curculione

> Alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
> Et qui ipſi ſat habent, quod in ſe poſſit verè dicier.

Quin, ſi ſapis, potiùs abſtine blaſphemum

os à ſacroſancto pietatis ac ſalutis noſtræ myſterio, ne te divina Nemeſis exemplum faciat, ne triumphare prompti hujus auxilii, heu! exſors inveniare! Quin revertere, amabo, ad cor, & memor legis à Fundatore tuo latæ victricem gratiam, illam humilitatis conſervatricem, virtutum omnium parentem & altricem, adverſarum omnium poteſtatum debellatricem mecum agnoſce. Aut, ſi id votis noſtris majus eſt, quin Chriſtiana tolerantiâ diſſidia noſtra temperamus, ne Eccleſiæ hoſtibus nudum latus aperiamus? Quòd ſi nec hoc obtinemus; at quouſque tandem formidanda Societas ſuum illud brachium ſæculare ſine pudore aut modo in ſubſidium advocabit, & in viros integerrimos, quibus Janſeniſmum affricare allubuerit, armabit, ut nec ſacris Virginibus, quod nuper, heu! lamentavimus, parcat? An id alio quàm externâ violentiâ & coactione pollet? At quis neſcit, quàm infida hæc ſit veritatis teſtis? Quid enim, amabo, illa in tanta delirantis mundi corruptione non efficere poſſe videatur? Quod tandem dogma illa non antiquet, niſi tantùm illud, quod ex Deo ſit, quod ſcuto Veritas ejus circumdederit? Rurſus quæ uſquam inſania hâc ratione ſe non recipi impetret?

Conſtit. 4. parte. cap. 14. Vide *Artes Jeſuiticas* §. 1.

Ne verò mihi, neſcio quis importunus hìc occinat utiliſſimum hujus brachii, adversùs præfractam Donatiſtarum obſtinationem, uſum; quando in confeſſo eſſe debet, quod & omnium temporum annales atque adeo res ipſa palàm faciunt, martyrium juſtumque ſupplicium non tormentis, ſed cauſis diſtare; atque ſæcularium poteſtatum favorem (nam & hunc à Jeſuitis interdum jactatum novimus) adeo

nihil ad veri falſique diſcrimen internoſcendum conferre, ut in hac de Chriſti gratia controverſia, niſi ad tantum lumen cœcutirent, gravi adverſùm ſeipſos præjudicio ſe premi facile Jeſuitæ cernerent; quorum in hoc argumento doctrina, tum tanto ſuffragantium numero, tum etiam tot illis mundi machinis ſuffulta, ægrè etiam ſe ſuſtinet: dum interea ex adverſo ſtans tantillus grex, ſub quo & genuinos Thomiſtas comprehendo, ab omnibus mundi præſidiis nudus & inermis, per tot adverſa animosè eluctatur: cùmque tantis his rerum humanarum periculis & incommodis nihilo meliora hic expectant, quia tamen unam veritatem cœteris omnibus antiquiorem habent, unumque ejus defenſoribus promiſſum præmium ſibi proponunt, ſynceram ac veterem Eccleſiæ doctrinam magnis animis ſibi defendendam putaverunt, aſſumpſeruntque; ipſas etiam altiores poteſtates, quas (minùs merito ſuo, quàm venenatis illorum ſepulchrorum denigratorum calumniis) ſibi infenſas habent, ſine fuco honorantes. Hæc ſi Jeſuitæ, tranquilla & à præconceptis opinionibus libera mente, maturiùs aliquando perpendant, fors fuerit, ut tanta, quantam ipſi excivere, perſecutionum tempeſtas olim deſæviret. Intereà hoc ſciant, ipſis nequicquam contraſtantibus numquam defore, qui victricem gratiam propugnent; quæ, quum ſit fortior eo qui eſt in mundo, ſemper ſibi aut inveniet, aut efficiet defenſores, datura quoque eis os & ſapientiam, cui reſiſtere non poſſint omnes eorum adverſarii. Sed ſenſim me longiùs abduci ſentio. Igitur, quod inſtituti

mei ratio exigit ad primum accuſationis membrum retrogedior.

Id ſpectat ut vidimus, doctrinam meam de regula quarta Indicis, ubi de lectione Bibliorum in lingua vernacula. Et hic in ipſo ſtatim limine ſugillari me video, quaſi contra D. Pauli mentem, moviſſem terminos obedientiæ præpoſitis Eccleſiæ debitæ; id quod minimè factum vellem, qui Eccleſiæ diſciplinam hujuſmodi ſeditioſo attentato luxatam iri probè ſcio; & hanc mihi criminationem ab ea gente intentari, quam ceu intemperiis agitatam undique tumultuari, cum Epiſcopis eorumque adeo Clero tot annos irrequieta bella gerere videmus, quis non miretur, niſi quod *audere promptam* ex ipſamet diſcimus? At ſi hoc inde concludit adverſarius (nec aliunde poteſt, quando pro hac Diœceſi noſtra actu eas ceſſare nuſquam docui) quòd eorum leges ceſſare poſſe tantùm aſſeruerim, quantùm eum hic ratio fugiat, per ſe patet. Cœterum in Tractatu de Legibus immediatè præcedente hunc de Lectione Scripturæ Sacræ, Præpoſitorum Eccleſiæ rem egi, ac legis humanæ vim poteſtatemque pro virili expoſui ſtabilivique, idque & rationibus adductis, quibus hujuſmodi legi, quam ſuperiores ſervari adhuc volunt, parendum ſit etiam ei, qui judicaret aut ceſſare rationes, ob quas condita fuit, aut deeſſe conditiones ad legem requiſitas. Ubi porrò ejuſmodi legum exempla affero ex D. Thoma his ipſiuſmet verbis: *Sicut cùm quis leges imponit, ſubditis oneroſas, non pertinentes ad utilitatem communem: vel cum legem fert non habens legitimam poteſtatem, aut potiùs ultra poteſtatem ſibi commiſſam.* Dehinc

hinc ex eodem Doctore adducitur hic locus Auguſtini: *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Et hiſce tamen, qualibuſcumque tandem legibus parendum ex Angelico Doctore ibidem aſſero, idque, ut ipſe ait, *Propter vitandum ſcandalum vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo debet cedere,* ſecundùm illud Matthæi 5: *Qui te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Adhæc Epiſcoporum dignitas & poteſtas ibidem vindicatur in hunc modum: „Præcipuas „ indubiè in Eccleſiæ regimine partes Epiſcopi „ ſuſtinent, *qui* (ut loquitur Trid. Seſſ. 23. de „ Sacram. Ord. cap. 4.) *in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, & à Spiritu Sancto poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei.* Talia hæc diſertè docui, nec uſquam alibi huic doctrinæ, ſive expreſsè ſive implicitè contradico. Nam & adverſarium, id quod prætendit, vitio concluſiſſe, ſupra oſtendimus. Et adhuc traduci me, tamquam Pauli menti de obedientia exhibenda Præpoſitis non ſatisfaciam? Quis igitur obtrectandi aut pudor aut modus?

Sed altiùs etiam ingrediamur & quæ præcisè ac determinatè de lectione Bibliorum in lingua vernacula docui, propiùs ſingula luſtremus; eaque quantumvis rigido examini ſubmittamus, quò moroſioribus etiam fiat ſatis. Telam igitur hanc de lectione Bibliorum cap. 5. §. 4. ordior ab utilitate hujus lectionis, quam & ſequentibus articulis ejuſdem capitis ad ſeptimum uſque, eumque ultimum porro, commendare annitor è Scriptura Sacra & Patribus, idque ſubnexis etiam cautelis & conditionibus ad hanc lectionem requiſitis. Nihil hic pro Jeſuita, ubi nihil aliud quàm

Scripturæ & Patrum mentem fideliter expono, qui præclaram hujus lectionis utilitatem atque adeò neceſſitatem ex ipſa rei natura petunt, eamque præviè ad omne Superiorum mandatum commendant & ſollicitè inculcant, ut hìc ipſorummet legiſlativam poteſtatem perperam ille obtenderet.

Dehinc capite 6. per 10. Articulos oſtendere ſatago, quatenus regula IV. Indicis doctrinæ hactenus ex Scriptura & Patribus traditæ aut adverſetur aut congruat.

Primo igitur Articulo, ipſa hæc regula cum brevi ejuſdem hiſtoria compendio allegatur.

Secundo Articulo, ex Patre Verono quondam Jeſuita, ex quo mox recitata hiſtoria, oſtenditur regulam hanc non eſſe Concilii Tridentini: id quod controverſiam non recipit, etſi à Concilio deputatos ſcio, qui Indicem confecerunt, eumque dein Pontifici obtulerunt.

Tertio Articulo, obſervatur per hanc regulam non prohiberi Lectionem Scripturæ Sacræ, tamquam intrinſecè & per ſe malam, ſed tamquam ex accidenti nocivam: atque adeo ob circumſtantias extrinſecùs accidentes eſſe conditam.

Quarto porrò Articulo, duæ tales allegantur circumſtantiæ, eæque quæ vulgò, ut præcipuæ, adduci ſolent. Altera ſpectat verſiones, aut non ſatis fideles, aut per hæreticorum annotationes depravatas, quæ tum paſſim prodibant. Altera eſt, quòd per illorum temporum malitiam, dominaretur tum petulans ille pruritus & præſumptio divinam Scripturam ex humano Spiritu ac proprio cerebro intelligendi explicandique, ut adeo quidquid ſom-

ſomniaret vel delira anus pro divino dogmate non rarò obtruderetur. Nihil adhuc dum quod pateat reprehenſioni Jeſuitæ noſtri.

Quinto Articulo, examinatur, an hæc regula ceſſare poſſit, quo de & in ſubſequentibus etiam agitur. Et quamquam luce meridiana clarius ſit, poſſe: at verecundiùs tamen exiſtimavi, probatorum auctorum rationibus ac fundamentis, ipſiſque adeo eorundem verbis quæſtionem reſolvere. Hinc adeo hoc ipſo Articulo in hanc rem citantur, Serrarius Jeſuita perquàm eruditus, Guilielmus Herinx Iprenſium Antiſtes, Marchantius, Baſſæus; Hurtado.

Sexto Articulo, citantur Cardinalis Bona, quatenus Moralem Chriſtianam approbavit & enixè omnibus commendavit; Cardinalis le Camus, Antonius Godeau Vencienſium Epiſcopus, & Veronus quondam Jeſuita. Et hi ferè adducuntur tamquam teſtes factorum, quæ apprimè ſcire poterant. Porrò an teſtimonia ſua fideliter fundatèque perhibeant, æſtimandum relinquitur ex eorundem rationibus ea conſtabilientibus, quæ ſequenti Articulo exhibentur. Quid huc uſque carpendum inveniat argutator noſter? At quia fata mea ferunt ut à Jeſuitis reprehendi debeam, præcipuè ſe reſtringit ad Articulum ſeptimum & ſequentes uſque ad finem.

Septimo igitur hoc Articulo (id quod titulus ipſe indicat) rationes illæ ab iis auctoribus adductæ referuntur magis, quàm adſtruuntur, quamquam & adſtruxiſſe non puderet. Porrò eorum rationes in dictatis allatæ huc ferè redeunt, quòd lex humana ceſſare poſſit ex duplici capite. Primò per conſuetudinem

contrariam, quò pertinent teſtimonia auctorum Articulo quinto adductorum. Secundò ex eo quòd ceſſet finis legis in generali, idque ſive contradictoriè, ſive contrariè. Pro contradictoria porro ceſſatione finis regulæ quartæ Indicis adducitur auctor Moralis Chriſtianæ; quam damnatam temerè Grinsvenius aſſerit, non probat. Approbatam ſcio ab uno Archiepiſcopo, quatuor Epiſcopis, ſeptem Sacræ Theologiæ Doctoribus, nec uſquam, niſi in cerebro Jeſuitico, damnatam puto. Pro ceſſatione contraria in teſtem advocatur Veronus, cujus & ratiocinium continenter exponitur. Exinde ne, quæ pro certis locis ab iis auctoribus aſſeruntur, temerè ad alia ab imprudentibus extenderentur, convenientes ſuis locis cautelæ ſubnectuntur. Hinc adeo Veroniano ratiocinio ſubditur: *Ita Veronus pro Gallia*. Hinc quoque *pro Germania Serrarium loqui*, aſſeritur: ac demum auctorum citatorum teſtimonia generatim in concluſione diſertis verbis reſtringuntur ad *loca de quibus agunt*. Probè adeò hìc omnia munivi quaſi cuncta Corycæis plena eſſe prænoviſſem.

Octavo Articulo, eorundem auctorum teſtimonia aliis itidem rationibus, tum etiam & exemplis aliarum legum, conſimili ex cauſa abrogatarum, ex ipſiſmet illis auctoribus ampliùs confirmantur.

Nono Articulo, exempla hæc à ſimili ab iiſdem adducta elucidantur & confirmantur.

Decimo denique Articulo, agitur de Decretis, quæ hanc regulam ſubinde confirmarunt, quæ quidem auctores illi non minùs ac ipſam regulam antiquari poſſe affirmarunt, id quod

quod probant exemplis Decretorum, quæ, cùm regulam ſextam ejuſdem Indicis ſimiliter renovarent, nihilominùs antiquata eſſe ab iiſdem auctoribus ſine hæſitatione aſſeruntur.

Hiſce omnibus ſubnectitur concluſio, in qua hactenus ſuper hoc argumento tradita in ſummam contrahuntur, atque ad ſex capita ex iiſdem deducta revocantur.

Primum eſt: Scripturæ Sacræ etiam in vernacula lingua (cujuſmodi primis Eccleſiæ temporibus in orbe Romano ferè erant Græca & Latina) lectionem eſſe per ſe utilem, & ut talem omnis ætatis, ſexus & conditionis hominibus, à Patribus commendatam. Hìc ego, rabulam quemdam in centone, quem inſtar picæ ſimiliter cadentibus ad nauſeam nuper infarcivit, obſtrepentem; nec non hujus urbis Eccleſiaſtem Jeſuitis amicè dilectum, eidem ſubinde ſuccinentem audio: D. Paulum ſuam ad Romanos Epiſtolam græcè conſcripſiſſe, quò minùs à promiſcuo vulgo, poſſet intelligi. Sed quamvis Græca Lingua minùs etiam tum in vulgus nota fuiſſet, quàm eam fuiſſe conſtat: quidni tamen rabula iſte igitur, quò ſibi conſtet, eâdem ratione Apoſtolum ad Græcas nationes, Corinthios puta, Theſſalonicenſes, Epheſios Latinè ſcripſiſſe dicet? Sed quid ego tam ineptos blaterones moror? Verè, quod dici ſolet, Aſinus ad lyram.

Secundum eſt, Magnum ex ea fructum percipi poſſe, ſi adſint convenientes animi diſpoſitiones, abſintque contrariæ: ſi adſit humilitas, adſit docilitas, reverentia, proficiendi deſiderium, ac ſpiritualis hujus alimo-

niæ fames. Si abſit curioſitas, abſit præſumptio, & alia id genus, quæ ſub finem capitis præcedentis latiùs exſequor.

Tertium, Ex accidenti puta quorundam malitia, aut præſumptione, in hanc lectionem, ut per ſe bonam, incidentes abuſus, neutiquam Patrum in ea commendanda zelum refrigeraſſe: neque protinus vetandum eſſe, quidquid nonnulli malè abutuntur, id quod & à ſimili ibidem illuſtratur.

Quartum, Circumſtantias, quæ ad hanc condendam regulam impulerunt, nunc temporis aut ceſſare aut ſaltem plurimum eſſe mutatas. Lumen ſoli mutuare velle videar, ſi rem tam manifeſtam pluribus coner exponere.

Quintum, legem Eccleſiaſticam negativam ſeu vetantem, de re per ſe utili ac tantopere à Patribus commendata, eóque nec jure naturali nec divino prohibita latam, antiquari poſſe, ut accidit legi Apoſtolorum, Actuum 15. Cui & addi poſſit hæc Concilii Eliberitani Can. 36. *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur.* Item etiam & hæc Concilii Gangrenſis, Canon. 17. *Si qua mulier propter divinum cultum (ut æſtimat) crines attondeat quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit, tamquam præceptum diſſolvens obedientiæ, anathema ſit.*

Sextum: Quantumvis auctores præcitati ſentiant hanc, qua de agimus, Indicis regulam, *pro locis de quibus agunt* abrogatam eſſe; at agnoſcunt tamen quamdam juris naturalis obligationem, pium quemdam ac eruditum directorem conſulendi ſuper diſpoſitionibus ad

Scrip-

Scripturæ ſacræ lectionem adferendis, itemque ſuper hujus lectionis ſubjecto (nec enim ſine diſcrimine quasvis Bibliorum partes ab omnibus promiſcuè legendas, ſed cauto hìc opus eſſe exiſtimant) ac denique ſuper modo ac ordine in ea lectione ſervandis.

En tibi compendio fideliter exhibitum, quid quid de hac lectione Bibliorum abs me traditum memini. In quo quid argutator ille Jeſuita, qui dum ſuæ gentis erroribus tam indulget liberaliter, in aliorum tam cernit acutùm: quid, inquam ille in eo, adhibitâ etiam non unâ lucernâ, ſugillandum inveniat? At objici præterea mihi video Theſim quamdam tamquam abs me in Seminario defenſam 19 Julii 1709. in qua inter alia hoc habeatur: JAM CESSAT (regula quarta Judicis) NON TANTUM CONTRADICTORIE, SED ET CONTRARIE. Quo jam adverſùm me conclamatum debuccinat Jeſuita. At, ut ſyncera foret citatio, de quo dubitatur, quid tamen tandem hinc argutulus ille adverſum me inferet?

Cùm enim Theſes ipſo fatente ex dictatis concinnari ſoleant, eòque neceſſariam ad illa relationem habeant; ex iisdem porro explicandæ veniunt. Quid enim? An ille fortè prætendat ea, quæ in dictatorum corpore aut contextu continentur è volanti chartula aut tam minuto extracto ſenſum mutuari? Sic & ſol à radio ſuum lumen hauriat. Hem ſcita ratiocinandi methodus! Proinde, ſi in dictatis narrativè tantùm locutus fuiſſem (nam hanc evaſionem pro dictatorum defenſione ille pro humanitate ſua mihi ſuggerit) idem etiam de Theſi, procul dubio, dicendum foret. At ego hanc Jeſuitæ ſuggeſtionem repudio. Spartam

tam meam pro virili exornare, docere, inquam, non narrare, aut garrire mihi propoſitum. Igitur, ſi Theſis reverà ita habuit, ex dictatis utique reſtringenda erit ad loca, de quibus auctores in eis citati agunt; idnamque in dictatis ita factum jam ante vidimus.

Porrò, in hoc argumento lectionis Bibliorum, de Antverpienſi Diocæſi conſultò abſtinui, ne in aliquo Superiorum ſententiam mentemque præverterem. Si tamen ampliùs aliquid dixiſſem, atque adeo de ea etiam locutus fuiſſem: non deerant rationes quibus me tueri poteram, atque imprimis ad manum erat hæc Martini Steyaert Vicarii Apoſtolici Diocæſis Sylvæducenſis, qui contra Bibliorum lectionem acerrimè ſtetit. Is enim Aphoriſm. diſp. 13. n. 5. de virt. Theol. ita inſit: *Ubi inter hæreticos degendum fuit, plus indultum eſt.* Atqui ego pro tota Diœceſi Antverpienſi doceo, cujus non minima portio præpotentium fœderati Belgii Ordinum ditioni ſubeſt. Atque, ut omittam non paucas familias acatholicas in hac ipſa urbe degentes, magnumque hoc tempore etiam acatholicorum ad eam confluxum; non exiguum ſubinde accedit præſidium acatholicum. Et quid ſi Vicariatus hujus Diœceſis, in Steyartii ſententiam concedens, idem pro hac Diœceſi fieri tacitè velit? An non etiam tunc Epiſcopali facultate ſufficienter munitus videar? At enim novit ille officii ſui rationem, ut Jeſuitâ monitore non admodum egeat.

Rationi huic & autoritati Steyartii jungere poſſim & alias auctoritates non ſpernendas. Ut primùm Andreæ Maſii Sylvæducenſium Epiſcopi, qui oratione ad Clerum

in Synodo Diocæſana anno 1612. loquitur in hunc modum : „ Ediſcant Evangelium Chri-„ ſti, à quo NEMO CHRISTIANUS excuſa-„ re ſe unquam poterit. Nam omnibus ci-„ tra exceptionem clamat & prædicat Chri-„ ſtus : *Pœnitemini & credite Evangelio.* „ Jam quis Evangelio credere poterit, niſi il-„ lud ante cognoſcat ? Quomodo cognoſcere „ poterit niſi didicerit? Diſcere autem non po-„ teſt, niſi aſſiduè LEGAT, audiat, imò in-„ quirat. At fortè an moroſus Jeſuita adeo non niſi Sodalitii ſui auctores recipiat, ut etiam his, qui Jeſuitæ non ſint, omnem autoritatem abroget. Et in hoc igitur, & ſi tanti ille non eſt, morem ei geramus.

Non gravetur ergo audire ſocium ſuum Nakatenum in cœleſti ſuo Palmeto publicè hic proſtante, ac ſub approbatione, quæ Jeſuitis ſuſpecta eſſe nequit, Antverpiæ impreſſo an.1701, pag. 566. ita loquentem : „ Nemini cœtero-„ quin eſt prohibitum bene verſa & probata „ Biblia legere. Addi poſſunt ex eadem Societate Fabri, Nepveu, & alii. Minus ego dixi, & vapulo, ubi hi extra crimen ſunt. Tantùm ne poſſe partium ſtudium!

Reſtat nunc, ut conſilii quoque mei ſuper tradenda hac doctrina rationem paucis aperiam.

Primo itaque cordi erat, ut qui ad Eccleſiaſtica munia inſtituuntur, edocerentur Eccleſiæ ſpiritum circa novi Teſtamenti & Evangeliorum maximè lectionem, qui quidem ſpiritus per varia ſacrarum Litterarum ſanctorumque Patrum teſtimonia in dictatis exprimitur. De quo Catechiſmus Montis-peſſulenſis in reſponſione ad hanc interrogationem : „ De-

„ Debeantne Chriſtiani legere Scripturam ſa-
„ cram ? loquitur in hunc modum : Lectio
„ Scripturæ ſacræ & potiſſimum Novi Teſta-
„ menti, Pſalmorum & Librorum Moralium
„ veteris Teſtamenti deberet eſſe occupatio
„ & conſolatio ordinaria omnium Chriſtiano-
„ rum, qui pietatem ſuam, non autem va-
„ nitatem aut curioſitatem paſcere volunt: hic
„ Eccleſiæ ſpiritus & votum eſt. Quò pertinet & locus ex oratione Maſii mox adductus.

Secundò, ratio referendi aliorum auctorum ſententias de regula quarta Indicis, imprimis erat; ne quis crederet, poſt conditam illam regulam, alium eſſe Eccleſiæ ſpiritum, quàm olim: ſed ut juniores Eccleſiaſtici intelligerent, Eccleſiam, dum diſciplinam quandoque variat, ad quoddam Dei ipſius inſtar, de quo Aug. Lib. I. Confeſſ. cap. 4. *Opera mutare nec mutare conſilium.*

Tertiò, cum ex Diocœſis hujus, ipſoque adeò rerum nunc ſitu, magnæ diſcipulorum meorum parti inter acatholicos verſandum eſſe præviderem, eos ſuper hiſce paullò plenius inſtructos ac munitos volui, ne aut imperitiā acatholicis ſe deridendos propinarent, aut per imprudentiam eisdem petram ſcandali ponerent: de quo Veronum indoluiſſe ſcimus, eum qui multùm in Gallia pro hereticorum converſione laboravit.

Denique inſtituendi videbantur juniores Eccleſiaſtici: ne lectionem novi præcipuè Teſtamenti tamquam populo generatim periculoſam & noxiam tum ipſi ſecum reputarent, tum etiam hanc ſuam opinionem, ceu verum dogma, in populum ſpargerent: ſed uti populum po-

potius idoneum reddere conarentur, qui ex ea lectione poſſet proficere, quàm ab ea, tamquàm de ſe mala, abſterrere. Et his talibus rationibus motus tam verecundè ex probatis auctoribus hæc pertractando, ſuperiorum autoritatem, de ea etiam debitè præfatus, læſero? Eat Jeſuita & ſuis fungis id perſuadere ſatagat.

Hìc jam hujus doctrinæ meæ de Bibliorum lectione ſeriem ac ſummam ad umbilicum deduxi, nec ipſum modò dogma, ſed & tractandi rationem ac conſilium ſyncerè fideliterque expoſui; nec unquam vel per ſomnium incidit, quidquam in his ab ullo reprehenſum iri, aut reprehenſionem quidem admittere. Sed quid à quoquam, qui modò apud gentem illam gratioſus non ſit, tam uſquam circumſpectè dici poſſit, quod non matæologus quiſquam Jeſuita in criminandi anſam rapiat? Id hìc à Jeſuitis factum, qui me ob hanc doctrinam capital admiſiſſe pronuntiarunt: qua de ſententia nunc videamus, & primum accuſationis membrum exſequamur.

Igitur, ob hanc doctrinam tantâ moderatione traditam, tot rationibus auctoritatibusque munitam, tot cautelis obſeptam, ſi Jeſuitis credimus, *non leviter mea caſtiganda audacia*; neque jam *mereor manducare panem Seminarii.* Sed ut voſmet ipſos, ô viri mites! hìc compellem, qui ab omni beneficio Eccleſiaſtico nudus ſum, quid ſi etiam nudus ſim à patrimonio, aut eo ſim tenui & vel ad mediocrem ſuſtentationem impari? An, eo non obſtante, me Seminarii pane privatum vultis? Sed enim jam olim etiam Leodienſis Seminarii pane, ſine ulla juris forma, atque adeo per vim,

vim, malignis ſuſurris veſtris, ab optimo Principe obtentam privaſtis? An nunc etiam hujus Seminarii pane, nec forte aliunde victitaturum, interdicitis? Tantùmne ergo animis cœleſtibus, quod agnomen veſtrum ſonat, iræ! Nam quid mitiſſimo Jeſu cum furore? Nullus ego invideo quod vobis Deus obtulit largâ, quòd ſatis eſt, manu, & fortè etiam aliquantò amplius. Et vos tenuem hunc victum mihi ademptum vultis? Quid ergo de me factum vultis? Aut cur non igne & aquâ ſemel interdicitis, ut ne ſic longo inediæ ſupplicio inteream, aut ad peram redactus cogar non inopem tantùm, ſed & turpem ſenectam, jam non à militia modò, quò per hanc ſententiam, ſed & à fama, quò per elogia illa veſtra contenditis, per vos exauctoratus, degere?

Atque, ut ipſos vos domi veſtræ, ô boni! adoriri aliquandò liceat, me pane illo interdicitis, dum interim vos, in hujus muneris partem ab Epiſcopis arrogati, caducarum divitiarum contemptum prædicantes, à quibus plebem tanto avocatis opere, eas ipſas tot votis, nec ſane fruſtrà, mercamini, in eas quas veſtrarum ex opulento hoc Gynæceo devotarum pia an ſimplex credulitas, ceu inutile, quin & nociturum pondus, hortatu veſtro abjicit, velut in deſertam prædam involantes? Me, inquam, pane illo interdicitis; dum vos, per omne fas nefasque artificiosè undique corraſis opibus, tartaream ingluviem, auri, inquam, ſacram famem, non tam expleturi, quàm irritaturi, ſaginamini, dicam an maceramini; dum vos pinguedinem terræ, plurium inquam familiarum luctum comeditis, quæjam

ferè

ferè nec tutis ſuſpiriis expilatos penates proſequuntur, dum ſimplicitas vulgi, aperta omnibus fraudibus quæ religione adumbrantur, lamenta averſarum opum pro flagitiis habet? Sic ergo, dum vos ebrii eſtis, Seminarii Profeſſorem tenui ſtipendio contentum, penuria, fame, mites homines! damnatis? Me inquam, qui meliori quadam invidiâ minùs vobis has tam ſplendidas opes, quàm aut profanam hanc earum ſitim, aut illam nihil vobis profuturam invidiam invideo, etſi modico hoc pane, per ſententiam veſtram indignus pronuntiatus?

At ſcenica illa tribunalia veſtra nihil moror. Judicem habeo Epiſcopum aut Epiſcopali juriſdictione Vicariatum. Hic me accuſatum oportuit: ſin tantillum hominem admiſſi: (ut vos vultis) erroris ad Evangelicæ regulæ normam fraternè corripere, ô magne Jeſuita! dedignabare; niſi, quod fruſtrà vos ad Evangelium revocaro, quando forſan alterius illius auctoris ſcita, hæc primum: *Calumniare audacter, ſemper hærebit aliquid*, item: *Divide & impera*, magis animo allubeſcunt, aut, ſi nec magiſtro hic vobis opus, callidè certè utimini. Ad illud ergo proprium Cleri ac Diœceſeos primarium, meumque adeo in hac imprimis cauſa tribunal, vocatum me oportuit. Coram illo nunc ſto, ubi ſolâ recti conſcientiâ fretus, nec culpam deprecor nec pœnam; atque adeo neque rigidum examen ſubterfugiens, neque juſtitiæ curſum remorans, unam, me inter meoſque, quà licèt, adverſarios cauſæ expeditionem efflagito, paratus judicum deciſioni ſtare; quorum, ut gratiam non aucupor, ita nec integritatem ſuſpecto.

At

At verò, tametſi dictata mea ita per Jeſuitas in crimen adducta, diu jam & quaſi igne (cùm vafritie enim res eſt) examinata ſunt, nihil tamen hactenus carbone notatum accipio. Quod ipſum interim in bonitatis cauſæ meæ præjudicium, quamquam causâ adhuc pendente, arripere liceat.

Dictatorum porro diſcipulis ereptorum, ne admiſſi erroris apud Judicem meum, illum, inquam, de proximo mea omnia pro munere luſtrantem, convinci poſſem (& hoc enim, ſi ſuperis placet, demens tentavi) quid criminationem depellere ſatagam? Quid, quoquot ſunt, diſcipulos teſtes advocem? quando jam calumnia omnis fidem invenit, ſubnixa autoritate Societatis ejus, quæ tum etiam, cùm fide majora ſpargit, fidem dictis etiam majorem impetrare, portentoſâ, quâ tum apud alumnos, tum & apud credulum vulgus pollet, autoritate ſufficit.

Ego verò intentatæ fraudis ſecurus, calumniam hanc trado protervis in vicinum Oceanum portare ventis, à talibus utique impactam, quorum unum opus, quidquid uſquam eruditionis aut probitatis eſt ultrà ſe ſuoſque (niſi quod nulla Sycophantæ in probitate pars) virulentis obtrectationibus exauctorare.

Ad ficulnos hoſce judices ficulnamque eorundem in me ſententiam redeo. Grinſvenius non leviter meam caſtigandam audaciam in Theſi proponit. Et quis ille Grinsvenius, ut ad calumnioſum ejus effatum vel gry reponam. Pater Maes in auctorem doctrinæ inquirit, & tandem me non mereri panem Seminarii enuntiat. Et quis etiam ille Maes, ut ejus dicta vel hujus faciam? Quin etſi vel

in-

integro (quod tamen abſit) Collegio ſuo adſtipulante, in Epiſcopalem jnrisdictionem per latrocinium involantes è tumultuario illo tribunali, ſuo ceu plauſtro, calamnioſam in me ſententiam proferant, an id me movere debeat, qui Jeſuiticæ jurisdictioni minimè ſubſum? Eant illi & cum fungis illis ſuis, qui eis nihil non credunt, triumphent, quantùm velint. Minùs ego de iſtis laboro quàm de ranis paluſtribus, qui doctrinam meam contra quantumvis ſubtiles ac ornatas eorum argutias ſolidè tueri poſſum.

Si Præpoſitorum Eccleſiæ autoritas, cujus violatæ me reum agunt, tantoperè ipſis cordi eſt, cur igitur nullâ habita ratione unius Vicarii in diſputatione præſentis, in ejus ſubditum petulanter pronuntiant? Cur hìc in actu exercito nulla Eccleſiaſticæ hujus poteſtatis reverentia? Sed hoc Jeſuiticum eſt, ejus contemptum inverecundè cœteris imputare, & interim eandem, ubi ſuis commodis non ſubſervit, ex alto deſpicere. Nonne enim videmus hanc Epiſcopali ordini gravem factionem, inſuper habitâ Xaverii de concordia cum omnibus, maximè cum Epiſcoporum Vicariis ſervanda commonitione, ubique contra Epiſcopos ſibi non obnoxios ſine ſine tumultuari, id quod infra exemplis probandum mihi? Et hinc forte non minimum eorum malorum, quæ ab irrequieta hac gente in Eccleſiam univerſam tam ubertim redundant, quæque animo prævidiſſe videtur illa, toto orbe celeberrima, Facultas Theologica Pariſienſis, cùm anno ab hujus Societatis decimo quarto (ſi benè memini) à primario totius regni Senatu ſuper ejusdem

Ep. L. 4. Ep. 4. ad Rect. Col. Goani.

ad-

admiſſione conſulta, tandem concludit in hunc modum: *Hæc Societas videtur in negotio fidei periculoſa; pacis Eccleſiæ perturbativa, Monaſticæ Religionis everſiva,* & MAGIS AD DESTRUCTIONEM QUAM AD ÆDIFICATIONEM. Hoc ſaltem non à Janſeniſtis.

Sin Eccleſiaſticæ doctrinæ puritatem curant, quin ergo foris tantùm, non domi ſapiunt? Quin, inquam, Scholam ſuam adeunt, illam tot propudioſis dogmatibus luxuriantem, tot monſtroſarum opinionum malè fœcundam parentem? Hìc enim verò ſanctâ curâ dignam ſpartam, hic Augiæ ſtabulum repurgandum invenient, ſi tamen tantarum ſordium cloaca purgationem recipit. Nonne enim Jeſuitarum auctores amorem Dei toties ex moribus, veritatem aut ſynceritatem ex ſermonibus deleverunt? Quæ iidem vitiorum monſtra, ingenioſè excogitatis ſuis probabilitatibus non virtutum, aut ſaltem actionum apud Deum inculpabilium, infucarunt? Nonne demum, quaſi Homini illi peccati præluderent eique viam parare ſatagerent, toties proſcripta perniciosa illa ſua dogmata, modò ſub peccati Philoſophici commento, aut ſub virtutum moralium aliove titulo identidem reduxerunt? Et, ne vetera tantùm ac obſoleta hìc recenſere videar, etſi eorum adhuc recens memoria eſt; nonne hodieque integrum id genus ſordium plauſtrum, in Tractatu de Virtutibus moralibus in Epiſcopale Tornacenſe Seminarium invexerunt, quas melioris notæ Theologi in Epiſtola recèns impreſſa Tornacenſium Epiſcopo, ceu ſtigmate inurendas, denuntiarunt.

Et

Et credi poſſit aliquid eſſe ſani in hac Schola, unde tanta morum corruptela identidem pullulaſcit? An ulla bona principia unde tam perverſæ concluſiones eruuntur? An ergo alia unquam hâc exitialior ex inferis ſe peſtis extulit? Quis hìc non agnoſcat Harpyias Virgilianis illis non paullò etiam pernicioſiores? His quoque uncæ manus, his numquam exſaturata ingluvies, facies quoque, præ immenſa dominandi cupidine ac tartarea invidentia, ſemper pallidæ; &, quod maximè doleas, per univerſum, quaqua poteſt, Eccleſiæ corpus ſparſæ, ut tamen ditiores potiſſimùm regiones invaſerint, dum craſſiorem illam ac materialem corporum eſcam terrenasque adeo opes depopulantur, meliorem illum interim animarum cibum, ſalutis doctrinam, contactu ſuo, heu! fœdant & commaculant. In diram hanc gentem ſæpe Epiſcopi cum ſuo Clero, ſæpe Scholæ cœteræ arma ſua expedierunt; ſed in caſſum ſemper: tot enim Bullis, tot ſtupendis privilegiis muniti ſunt, ut nullam Eccleſiaſticorum armorum vim uſquam admittant.

Et hæc eſt illa gens quæ, ob illam de Bibliorum lectione doctrinam, tantos nunc clamores excitat, quaſi inde Eccleſia nutare inciperet; quæ ob eam adverſùs Eccleſiæ Præpoſitos rebellionis mihi dicam ſcribit. Sed aliud eſt, quod eos movet; me perverſæ doctrinæ reum eſſe eorum rebus expedit, atque adeò opus etiam eſt; quò ſcilicet, me iterum remoto, in Antuerpienſis Cleri Seminarium ipſi irrumpant. Imo ſcientiæ clavis ſolis Jeſuitis deinceps relinquenda, ne quiſquam quid ſapiat ultrà quàm illis collubitum. Tum verò

hoc præclariùs agetur cum Eccleſia, quo Clerus univerſus profundiùs infra Jeſuitas deprimetur. Neque enim, ſi illis credimus, *neceſſe eſt ut ſacerdotes è Clero admodum docti ſint, ſed ſatis his eſt, ſi quid ſapiunt ſupra vulgus.* Idque, ſi quid capio, ut ad Societatem velut oraculum undique omnes recurrere habeant, eidemque religiosè ac venerabundè ſe ſubmittant. Quò pertinet quod non ita pridem in magna quadam Germaniæ urbe accidit: ubi, cùm apud non minimæ notæ virum Jeſuitarum Rector Canonicum quemdam ad Vicarii Generalis dignitatem commendaſſet, eique repoſitum foret; quâ conſcientiâ virum iſtum, quippe incapacem, ad hoc munus promovere vellet, illicò reſpondit: *Verum eſt, id tuta conſcientiâ facere non poſſem, ſi nos non eſſemus ibi.* Igitur ubi adſunt Jeſuitæ, nihil neceſſe eſt, ſive Epiſcopos, ſive eorum Vicarios, aut alios quosvis Eccleſiarum Præpoſitos, quidquam per ſe ad ſpartam ſuam exornandam capacitatis habere, nenon univerſi à Jeſuitis naſo ſuſpendantur. Et ex hoc principio, ubi illi doctrinæ regnum ſibi ſolis aſſeruerunt, videas integras provincias denſiſſimâ ignorantiæ nocte damnatas.

Hinc adeo videmus gentem illam, quæ ſuis commodis omnia metitur, privum in litteras regnum ubique affectare, de quo Viſontinus Clerus apud Archiepiſcopum ſuum graviter conquerebatur, cùm Jeſuitæ ab eo Seminarium illius urbis impetrare contenderent. Videmus eandem ingenioſam inventutem in maculas ſuas omni venatione compellere.

Novimus, quò latiùs regnum ſuum ac poten-

tentiam porrigant, domorum ſecreta ab iis temerari, ut etiam eorum Vernas (Coadjutores vocant) aliunde accitos, ac vulgari veſte metamorphoſatos, pro ſervis in ditiorum familiam eorum operâ receptos acceperimus. Quis verò melioris ingenii tot mortalium inſaniam non triſti acerboque riſu proſequatur? Quis Jeſuitarum artibus attribuendum neſcit, quòd tot homines illâ inceſsûs moderatione ac aſcititiis radiis ementitæ dignitatis capti, illos velut unicos ſapientiæ myſtas ſuſpiciant, ac cœterorum tamquam barbara & incondita ingenia aſpernati, apud hanc gentem ſcientias omnes felici facinore penè in cuſtodia detineri; nec cœteros, niſi quantum Jeſuitis lubitum, de iis participare exiſtimant? Quis ignorat eos, qui eruditione aut probitate, adde & ingenuâ animi libertate, factionis hujus indignationem commerentur, in hæreticos, Janſeniſtas præſertim, à Jeſuitis ſubitò transformari; quos illi, non multò ſeciùs ac Palladem Jupiter, è nigro ſuo cerebro tanta facilitate effundunt, calumniis ſuis fidem familiari ſibi artificio adſtruentes. Et hanc tam improbam factionem, tam ardenter cupere, atque adeò hortari etiam, ut, ſi quid uſquam in Eccleſia ſanum eſt, ſi quid non ſervæ ſibique obnoxiæ probitatis aut eruditionis, extra unicè dilectæ matris gremium, unicam ſalvandorum arcam, in certiſſimum exitium ſeſe ejiciat! O novos Evangelii præcones! Se ipſos ſaltem noſcerent, ſuoque ſe pede metirentur. Qui ergo tandem illi; & unde venerunt? Meminiſſent ſe ab omni legitima in Eccleſia poteſtate nudos eſſe, neque adeo,

inanium proſcriptionum ac ſententiarum ſuarum furiata nugamenta uſque obganniendo, aures nobis lacerarent: claves regni cœlorum, altiusque Eccleſiæ regimen iis relinquentes quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, cogitarent ſe extra hierarchicum ordinem conſtitutos, velut auxiliarem manum ab Epiſcopis & Clero receptos eſſe, uti precarium in Eccleſia munus obirent. Neque adeo primos ac neceſſarios Eccleſiæ operarios omnibus copiis pertinaciter oppugnarent.

Quin & inter Regularium Ordines, utcumque ambitioſè ſupra alios ſe vehere nituntur, non in Eccleſiam meritis minùs, quàm veneranda antiquitate vincuntur à cœteris, qui, ut alia, adulationis vel ſpeciem fugiens, omittam, id certè non ſpernendæ utilitatis afferunt, quòd impiis in hoc terrarum orbe mixti, hinc illorum malitiam, hinc Dei iram temperant.

In quam ſententiam, è majori quodam Regularium Ordine virum eruditione juxta ac obitis muneribus primarium, coram quibusdam mihi notis nuper differentem accepi. Dolebat, quòd non, ad aliorum Regularium inſtar, adque Cleri normam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ubique vigentem, chori officiis addicerentur, quò minùs ad pravas machinationes animo volvendas ſuppeteret otii, minùsque antiqui hoſtis ſuggeſtibus paterent; quoque cœteræ etiam curæ ac horæ per hæc ſancta exercitia conſecrarentur. Ita facilè futurum ut ad ſynceram Evangelii doctrinam reducerentur, nec aliorum bene dicta ſupervacuâ ſedulitate rimantes, ad hæretica ſenſa invidioſè detorquerent, minusque adeo hære-

ſum

ſum audiremus, quas nunc livor & odium ultra faſtidium omne procudunt; minùs quoque avidè fortaſſis ad Principum aulas convolarent, unde nunc ſua arma in aliter ſentientes tam callidè ſtringunt; minùs perſecutionum ac tragicorum tumultuum audiremus, quibus multorum etiam è plebe liberrimam interdum excivere indignationem: ut non adeo mirum ſit, ſi irrequietum & hinc petulantiâ ſuâ melioribus è plebe ingeniis exoſum, hinc per * parricidalia Scholæ ſuæ decreta ſummis Poteſtatibus infeſtum genus, jam olim è catholicis Regnis Rebusquepublicis exactum fuerit. Et verò quis, hæc talia aliquantò propiùs inſpectans, obſtinatam gentis hujus ferociam, ſeditiones, obtrectandi pervicaciam non miretur, non indignetur, niſi quòd rerum indignitate commoti mirari dedignamur, indignari occalleſcendo dediſcimus?

* Vide Epiſt. Gallicam Doct. Sorbon. in libro cui titulus, *L'Eſtat préſent de la faculté de Theologie de Louvain.*

Interim adeo eos facinorum ſuorum nihil pudet, ut de iis etiam videantur gloriari, tamquam ſi humanum genus univerſum ludibrio haberent. Execrandam Duaceni quadruplatoris impoſturam non ita pridem amaro riſu perſecuti ſumus, cujus æmulam gravi nuper ſententia Senatus Brabanticus damnavit: & illam tamen * quidam ex eorum cœtu non infimus, cum Abbate D. Michaelis verba faciens de falſo Arnaldo, *Artes ſcholæ* appellare non erubuit. Ita ingenioſa hæc gens, dum Janſeniſtarum, quos vocat, rectè facta tetro vitiorum colore infucat; ſuorum quantumvis atrocia flagitia virtutis larvâ diſſimulat. Nempe, ut è ſupra laudato auctore, eoque non Janſeniſta de

* Pater de Hornes.

Pag. 13.

de Societate aliquid rurſus hîc adferam : „ Po-
„ puli credulitatem ad omnia tenet; ro-
„ buſtiores mentes faſtuoſis viribus tentat,
„ tam ſanctâ potentiâ ad humanum impe-
„ rium repente traductâ. Hos infamiæ aut
„ egeſtatis horror, hos ſpes alta tam ſu-
„ perbè florentibus junxit. Illi quippe per
„ virtutis arbitrium ſibi ac populo alumnis-
„ que commiſſum, ipſi famæ interdicunt,
„ ne ſuis adverſariis liceat probis aut ingenio-
„ ſis: addo ego (ut ut in probitate incluſum)
& orthodoxis eſſe. Videant tamen illi in ocu-
lis ſuis tam ſapientes viri, an hiſce talibus in-
nitendo non in labili arena inædificent, & ne
tam operosè congeſtæ opes exitium poſſeſſo-
ribus ſuis aliquando accerſant. Meam interim
hanc eſſe ſortem Deus velit, ut binos hoſce
virtutis ſcopulos, tot naufragiis tectos, evitem,
& ingenua mentis libertate Jeſuitarum blan-
dientia & territantia veritati poſthabeam. Quod
ſi iterum ſiniſtra cornix, aut Harpyiarum peſſi-
ma Celæno quædam Jeſuitica mihi famem
prædixerit, hoc adſit, uti malum omen de-
precer ab eo qui ſolus in meliùs poteſt vertere.
Sin id placet, hoc mihi omnium inſtar ſit, u-
ti antiquam Eccleſiæ doctrinam eo habeam
loco, quo Naboth ſuam vineam.

Jeſuitæ ſuam cum mea Rempublicam, (E-
lephantum utique cum muſca) componendam
relinquens, lubenter hîc finem facerem, al-
tercationum pridem pertæſus, qui invitus huc
veni. At pollicitationis memor, & quia res
meretur, unum, huic loco de induſtria ſerva-
tum, exſequi adhuc opus habeo.

Pagina 5. Epiſtolæ familiaris, ut me dice-
re memini, amicus dixerat: *Amarulentos cru-*
dos-

dosque terminos meos exagitatos iri ab adverſariis. Hunc, video, umbræ territant: ubi enim amaritudo illa, ubi cruditas? Pergit: *Qui etiam nos violatæ & epiſcopalis & pontificiæ autoritatis redarguent apud imperitam plebem* (hem Tribunal Jeſuiticum) QUÆ AUTORITATES ILLAS SOLET JUSTO AMPLIUS VENERARI. Ita ille. Quis ex perſona Janſeniſtæ id mihi, ceu Janſeniſtæ, dictum intelligens, non protinus ſeditioſam hanc mihi ſententiam attribuat? Et hoc pro ſuo amore vult amicus ille. Sed hoc quoque crimine tot ille mendaciorum parens Jeſuita famam meam fruſtra ſollicitat, qui jam inde à teneris meliora edoctus, iisque innutritus, auctoritates illas (Epiſcoporum puta, ſummorumque adeo Eccleſiæ Pontificum) anathematis inſtar aliquod habere credidi, ſacroſanctas, inquam, & ſeditioſis id genus blateratibus intactas atque inviolatas eſſe debere exiſtimavi. Et ego per Deum eas nunc minutas velim! Mihi, inquam, nimium ſit, quòd imperita plebs eas ſubmiſsè veneratur! Prohibeant à me ſuperi ſeditioſum dogma, nec, quod tantoperè averſor ſcelus, ab improbo Jeſuita mihi affricari patiar. Scrutetur callidus ille inſidiator ac fratrum calumniator, in doloſis aſtutiæ ſuæ lucernis, non jam dico omnia publicè abs me dicta dictatave (quamquam & illa) ſed privata ac liberiora omnia cum amicis colloquia, nugas & ſeria; nihil, fidenter dico, affine in me uſquam inveniet. Sed hem Jeſuita autoritatis Epiſcopalis ſatagit. O Prodigium!

Ille interim id confectum dare nititur ex doctrina mea de lectione Bibliorum. Sed qua tandem nigra arte, aut ex quo hujus doctrinæ

articulo id efficiet? An ex eo, quod dixi *regulam quartam Indicis, non eſſe Concilii Tridentini*? Sed per hoc nullius Eccleſiæ Præpoſiti autoritatem læſi. Imò ipſam illam regulam, cujuscumque demum ſit, adeo non contemnendam putavi; ut etiam, quibus potui rationibus, ejus æquitatem mihi demonſtrandam exiſtimaverim. Rem ipſam porro quod attinet, neque ipſummet adverſarium adeo ineptiturum opinor, ut contrarium ejus tueri velit. Probè quidem ſcio ipſum Indicem tamquam juſſu Concilii compoſitum, ex eo non immeritò vocari Indicem Tridentini. Sed ſimul ſcio, quas vulgò vocant regulas Indicis, non perinde ejuſdem Concilii mandato eſſe confectas. Si id te, tametiam exactum, fugit, ô amice! oppidò te docere poterit præfatio Patris Franciſci Foretii ex Ordine Prædicatorum, deputationis Tridentinæ ad conficiendum Indicem Secretarii, hæc inquam, id tibi planum ac certum faciet. Si eam forte non vidiſti; mirum tamen ſi aciem tuam fugerit, quòd Bulla Pii IV, ubi de viris à Synodo ad conficiendum Indicem delectis agit, ſolius Indicis mentionem facit, regularum ibi non meminit: etſi infra ipſum Indicem, unà cum regulis ei præpoſitis, diſertè approbat. Hactenus igitur nihil quidquam periculi, ô mi Pylades! ne Jeſuitarum rabulæ nos violatæ & Epiſcopalis & Pontificiæ auctoritatis reos peragant, niſi fortè, *apud imperitam plebem.*

Sed neque idem illud ex eo unquam effecerint; quòd dixi hanc regulam ceſſare poſſe. De quo, ſi apud te (quæ tua eſt extrema prudentia) quidquam velim addere, ipsâ ineptiâ

ineptior videar. Si probatorum auctorum ſententias retuli, qui eam in deſignatis quibusdam regionibus actu ceſſare aſſerunt, neque adhuc terreri te volo; quin æquo animo eſto, timidule! adhuc in tuto navigamus, ſtamus poſt principia; bellatoribus illis tam *audere promptis* ſuæmet gentis auctores objicere poſſum, qui tamquam in prima acie collocati primum quoque belli impetum cogantur ſuſtinere.

Veniamus ad decreta Epiſcoporum Belgii. Hic totus, ſat ſcio, contremiſcis, dum mihi malè metuis. Sed paullulum, amabo, reſpira, aliquà enatabimus. Primùm meminiſſe te volo, nullibi à me tacta ea decreta, etſi nullus dubitarem quædam eorum Jeſuitarum conſiliis ac fabricæ magna ex parte eſſe adſcribenda: ac Steyartii, hac in re uti & multis aliis, novum illum atque à priſtino nimiùm quantùm immutatum zelum, novæ, quam in Univerſitate moliebatur, factionis ſtudio fuiſſe animatum. Adhæc attende-ſis, nullibi à me dictum: regulam hanc in Belgio, aut (quod propiùs ad me ſpectabat) in hac Antuerpiana Diœceſi actu ceſſare. Nihil horum in meis. Si tamen conformiter ad Steyartii ſententiam ampliùs aliquid pro ea Diœcæſis parte, quæ acatholicorum ditioni ſubeſt, indulgendum aſſeruiſſem, neque hinc, ſi rectè auguror, mali quidquam me maneret; at quantò nunc hac parte mea cauſa melior ſit, tute ipſe vides.

Supereſt, quòd ipſam per ſe Bibliorum lectionem bonam & utilem eſſe docui. Cujus quidem doctrinæ nec me pœnitere, nec te amicum mihi pudere debet. At nuſquam tamen, ne

neſcias, utilitatem hanc ſuperiorum prohibitioni præponderare debere volui. Imò omni etiam tali prohibitione ſepoſitâ, ac re abſtractim conſideratâ, variis conditionibus ex ipſo jure naturæ depromptis, hanc lectionem temperandam eſſe docui. Igitur ſi quid circa hanc doctrinam de lectione Bibliorum me inter & Jeſuitas controverſiæ reliquum eſt, id utique huc redigatur neceſſe eſt: num hæc lectio ſecundum ſe & abſtractim ſpectata, utilis ſit, nec ne? Negabunt, opinor, Jeſuitæ, quorum doctrinæ malè cum ſacris Litteris convenit. Nec mirum tibi videatur, ſi viri ingenioſi, occultioribus rationibus, atque etiam concepto dolori, quòd Seminarium ad Clerum devolutum ſit, auctoritatis Eccleſiaſticæ ſtudium ſpecioſè obtendant. Si quid de certis Novi Teſtamenti Verſionibus obmurmurent, cogita, nihil, non ab eorum auctoribus profectum, purum ipſis & incorruptum. Id quoque etiam atque etiam hìc vide-ſis, ô amice, ut veteratores illi Jeſuitæ, ex tam nulla cauſa, violatæ auctoritatis Eccleſiaſticæ mihi crimen intentent, qui eandem, ut ſupra oſtenſum mihi, & tu ex dictatis meis videre potuiſti, tam ſtudioſè defendi. Sed eo invicem ſolemur, quòd nullam apud Superiores meos fidem invenient, qui non fucatam meam erga ſe reverentiam promptamque obedientiam, ſatis, ut puto, ſuperque perſpectam habent. Quamquam verò & tibi ipſi imprimis me purgatum percupiam, de eo tamen minùs nunc laboro, quando ſi quid ſiniſtræ hìc ſuſpicionis eorum tam confidens ac ornata garrulitas tibi ingeſſit, auditâ jam defenſione mea, id, quæ tua eſt æquitas & ſingularis humanitas, non ægrè depones.

Sed

Sed heus tu! ecquid placet novos illos Præpoſitorum Eccleſiæ protectores propiùs inſpiciamus? Et, ne prima ſpecies fallat, quæ in ſinu gerunt, excutiamus? Diſplicere cur putem? Igitur, procul habito partium ſtudio, primùm ut circa Epiſcopos ſe gerant examinemus, de ſummis Pontificibus mox viſuri. Humbertum illum ſuum, illum Societatis ocellum, quibus non opibus, quâ non ſollicitudine veluti clientem ubique tuentur? Quibus non laudibus vehunt? At hìc hæret tibi aqua: vehemens, opinor, ſuſpicio incidit, an non hìc rem ſuam agant. At (quidni enim hoc muſſemus cum invicem) quantùm mutati ab illis, qui Deceſſorem ejus Alphonſum, litibus, jurgiis, vituperiis oppidò impetebant, ut propè infra hominum conditionem demitterent? Hujus porrò Deceſſorem N. Creuſen ut iterum æmula ſociorum opera nuſquam deſtituit! At quanti hæc ei conſtiterit ambo ſcimus. Utique nihilò minoris, quam ſolidâ libertate. Quid enim effuſas in Societatem opes hìc commemorem? Porro ne quidquam te, quaſi jam alterum me, celem, in hanc rem accipe, quod bonus Vir apud piæ memoriæ Reginaldum noſtrum inter lacrymas & ſingultus de Sociis illis amarè queſtus eſt: *Habent mihi*, inquiebat, *pedem ſuper cervice.* Flandriciſmo hìc lubens utor, ne illis quid te fallere videar. Archiepiſcopum Boonen rurſus quàm non ſegniter illi bellatores impugnarunt? Quas non ei technas, quos non laqueos tetenderunt? Sed quid ego hæc apud te? Peregrina audire aves? En tibi ſtatim Archiepiſcopum Sebaſtenum, Sociorum cautè ponè cortinam latitantium operâ, omni

in Fœderati Belgii Eccleſias poteſtate exutum. Ecquid reus, rogitas? Dicam, quod ex fidedignis tum lectione tum auditione accepi. Deſeruerant illi octodecim aut ampliùs ſtationes, ſeu parœcias macras. Scis lolium non amare macra arva. Interim novam unam eamque tertiam (duas enim inibi habebant) in opulento Amſtelodamenſium emporio, ab hoc Epiſcopo emendicabant. Non te latet, ut ditiores animas ubique venentur. Id Epiſcopus abnuit, cauſatus macris ſtationibus, quales illi deſeruiſſent, è pinguioribus ſubveniendum, ne meſſis neceſſariis operis fraudaretur. Hinc gentis odium. Apamienſem alioſque in Galliis Epiſcopos, quorum virtutem eadem Jeſuitarum perſecutio illuſtravit, prudens prætereo, ne nota commemorans fruſtra te morer. Tranato Oceano Angliam luſtrare animus, Ibi à Jeſuitis, inſulanis quippe, nihilò mitiora his exſpecta. Noſſe te reor, ut Archiepiſcopum Chalcedonenſem impigrè ibi vexaverint exercuerintque. Minuta hæc ſunt, majora audies, ſed pauca è multis: atque ut Chinam hìc omittam, de qua non nihil infrà, quid non mali, duo illa Americanæ Eccleſiæ lumina, quæ Epiſcopales meliorum Eccleſiæ temporum virtutes æmulabantur (animoſum illum Palafoxium, pariſque roboris Bernardinum Cardenatenſem ex Ordine D. Franciſci intelligo) quid non mali inquam illi à Sociis experti ac perpeſſi ſunt? Sed de hoc ultimo audi, quod non unus Democritus dignè rideat. In hunc inermem, nec alio præſidio quàm precum ac civici amoris obſeptum, Societas ſæculare etiam bellum geſſit. Videas hìc Jeſuitas aliquot, conſcenſis equis, ac repente

Mor. Prat. Tom. V.

coacto

coactò è barbara gente exercitu, ordines ducere, in Epiſcopum, ceu hoſtem, movere, ad urbem Epiſcopalem applicare, oppugnare, expugnare denique. Quid verò ſanctus Antiſtes? Ad ſanctiſſimam templi aram confugit, ſacro vaſe, in quo SS. Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, in manus ſumpto. At an hæc Jeſuitas retinent, ut ſacrilegas manus à Sancto Viro abſtineant? Imò verò more victorum captâ urbe furunt ferociuntque. Epiſcopum, erepto mox è manibus Sacro-Sancto, ab ara atque adeo templo etiam avellunt, ſolum fragili ſcaphæ imponunt, flumini & ventis ludibrium committunt. Habes, ut Epiſcopos propugnant.

Videamus de ſummis Eccleſiæ Pontificibus. Nam cœteros Epiſcopos quod attinet, dixerit aliquis, ampliori eos, quam Regulares alios, exemptione frui, nec ego refragabor. Horum igitur jam eximiam illam ac toto orbe venerabilem poteſtatem, hancque divino juri innixam, quis non omnimodis Jeſuitas revereri exiſtimet? An non illi enim Pontificis in decidendis definiendiſque quibuſvis controverſiis infallibilitatem altiſſimè debuccinant? An non iidem, tribus communibus Regularium votis, aliud quartum ac Societati proprium addunt obedientiæ cœcæ in omnes Pontificis voluntates? At expecta tamen, &, ne fuco deludaris, rem penitius inſpice: hìc jam pro theſauro carbones reperis.

Cœcum namque obedientiæ cœcæ votum quod ſpectat, id, fateor, profitentur, neque non de eo gloriantur. Audi Rodriguen de tribus obedientiæ gradibus cap. 13. *Religioſi profeſſi noſtræ Societatis obligant ſe quarto &*

ſolenni voto obedientiæ cæcæ & extraordinariæ omnibus Papæ voluntatibus. An non eximia quæque hìc merentur? Quid igitur mirum, ſi tot privilegiis & exemptionibus Societas hæc munita ſit? Sunt qui magis id mirantur, homines tantopere cœcutire dicam an deſipere? imo reperire eſt, qui pernicioſas quaſdam Jeſuitarum hæreſes ex hoc fonte pullulare arbitrantur. Sed id ego hìc non ago, cui magis propoſitum, ut oſtendam, quâ tandem ratione id, quod hìc vovent, exſequantur. Hoc verò ita eos facere deprehendo, ut ad credendum inducar, prudentes viros illos, in ejus voti emiſſione, cautè ſibimet reſervaſſe facultatem ex arbitrio in eo diſpenſandi, aut tacitè hanc ſubaudiviſſe conditionem: ubi id è re ſua eſſe ipſimet graves imprimis auctores judicaverint; id quod tute mihi forſan non ægrè aſſentieris, ſi res cùm in China, tum contra Clementem octavum ab ipſis præclarè geſtas mecum infrà conſideraveris.

Infallibilitatem Papæ quod attinet, quis unquam altiùs eam extulit quàm Jeſuitæ? An non viris illis acceptum debet, quòd Synodorum generalium infallibilitatem ſupergreſſa, etiam ad facta non revelata modò porrigitur? An non illis tam energicis (ſcis quid velim) Sociorum ſuaſionibus & perſuaſionibus fieri videmus, ut hæc opinio ad Clerum ipſoſque adeo Eccleſiæ proceres uſque pervadens, tanta ſenſim incrementa faciat, ut Eccleſiaſticorum dogmatum dignitatem propè æmulari videatur? Hinc alius Cameraci ſub *facti dogmatici* ingenioſo commento, quo dogmati velut accidenti factum ſubſtare facit, factum ipſum cum dogmate in eandem maſſam ſub-

tiliter confudit, ut jam vix ſeparari poſſe videantur, quæ hoc artificio ille conjunxit. Alius Leodii nobis obedientiæ credulæ vanam Religionem deliravit. Alius Mechliniæ aliud ineptiit. Verùm ſuper hoc argumento quid diſertiùs quam illud Adriani van Wyck, quem & tibi notum eſſe ex humaniſſima illa tua Epiſtola video. „ Si Sedes Apoſtolica, in-
„ quit, aut Eminentiæ Veſtræ aliquid circa
„ has quæſtiones, aut alias quaſcumque defi-
„ nierint; intellectum promptus ſubjiciam,
„ ETIAM UT CREDAM, ALBUM ESSE NIGRUM,
„ ET NIGRUM ALBUM. En apertam & ſine ambagibus Jeſuitici dogmatis profeſſionem. Sed quid hæ ſordidæ adulationes, ac ejuſdem fæcis viles accommodationes, aliud ſunt, quàm Eccleſiæ probra, quàm humani generis dehoneſtamenta, ut pœnè pudere poſſet, eſſe hominem. Sed ad Jeſuitas, acrioris utique ingenii viros, quorum ego uti hac in parte ſubtilitatem miror, ita ſynceritatem admodùm ſuſpectam habeo.

Illi ſiquidem, quò ad Solipſorum monarchiam faciliorem ſibi viam parent, hoc infallibilitatis dogma ſpeculativè, totâ ingenii vi, nec non & aliis armis, acerrimè propugnant; neminemque non eò pertrahere nituntur: ita rebus eorum expedit. At ubi ad praxim res deducitur, hìc verò cautè ſibimet proſpiciunt, nec uſquam infallibilitatem ultra fines ſibi propoſitos extendi ſinunt. Proinde tu pro rerum varietate aliter atque aliter æſtimato. In favorabilibus ſiquidem: hoc eſt; quoties Janſeniſtas impetit (& eſt, quiſquis, alicujus in re litteraria notæ, ante Jeſuiticum Baal genu non flectit) nihil dubita, certiſſimum dogma

eſt.

eſt. At verò, cùm odioſum quid agitur, puta ſi Jeſuitas ferit: hìc tantæ illi Pontificis poteſtati opponere, propè dixi, oppedere, ac uſque ſe gerere, quaſi, juxtà non illepidam expreſſionem cujuſdam, Pontificem infallibilitatem hanc, à Societàtè ſua velut in feudum acceptam, poſſidere contenderent.

Atque, ut te tantiſper relicto, Seminarii noſtri alumnos interim alloquar: In aliis ſtudiis edocti eſtis tritum illud: *Diſtingue frequenter:* at hìc vos, ſi me auditis, diſtinguite ſemper, & attentè vobiſcum cogitate, an contra aliquem ex iis quos Jeſuitæ fingunt Janſeniſtas, quid decernatur; an verò aliqua Loioliſtarum dogmata proſcribantur: tumque hoc principium altè animis infigite, in illis Papam habitum iri infallibilem; in his minimè gentium. Exemplis rem conficere non uſquequaque difficile, è multis ego pauca excerpam.

Primum eſto. Videt orbis & ſtupet tot impia Jeſuitarum ac pluſquam pagana circa mores dogmata, ut ut à Pontificibus proſcripta, ipſis tamen annitentibus indies repullulaſcere, ac centies in novam recuſa ac reficta formam, non ſine ingenti animarum ſtrage, populo identidem propinari; nec ullam vigilum Epiſcoporum induſtriam, tantis illis corruptelis ad Sanctæ Sedis ſanctiſſimum exemplar exſtirpandis, ſufficere, tamquam ſi cum hydra res ipſa eſſet; cùm interim eadem Jeſuitarum pertinacia, quinque famoſarum propoſitionum ad faſtidium jactatâ damnatione, orbem Catholicum, quò ipſi ſecuriùs regnent, ſciſſum habet & inquietum. Et quamquam nemo eas, quod ſciam, defendit, imò omnes ex animo

nimo damnant; nihilo tamen minùs Janſenianam hæreſim magno hiatu crepant. Videtis, opinor, hìc, ut ipſis idem ſummus Pontifex diverſo reſpectu fallibilis ſit & infallibilis.

Alterum exemplum eſto. Summi Pontifices, pro ſua illa omnium Eccleſiarum ſollicitudine, ante paucos hos annos idololatricos cultus & Confucii ſordes, quibus Jeſuitæ Chriſtianam Religionem in China conſpurcarant, condemnavere, ac non ita pridem Clemens XI. cauſam plenè terminavit, idque, ut Decretum loquitur: *Prævio diuturno, maturo, & diligentiſſimo examine, auditis partibus, nec non Theologorum & qualificatorum votis.* Quid actum? An Jeſuitæ Pontificum Decretis ſe ſubmiſerunt? Imò verò fortiter, ut Jeſuitas decet, contempſerunt. Hinc adeo poſt nuperum hoc Clementis dogma, adhuc * turbare eos videmus, & invicta pertinaciâ pro impiiſſimo cultu ſtare. Quin & ab Romano Pontifice (riſum teneatis amici) ad Chinenſium Imperatorem provocaverunt. Porro, quot quantiſque ſævarum perſecutionum procellis alios à S. Sede in Chinam Epiſcopali auctoritate miſſos ideo exagitarint, quòd malè graſſanti peſti pro munere ſe opponerent, quàm eos durè crudeliterque tum per ſe, tum & per ſuos illos præfervidos † *Catholicos Jeſu* hujatibus Societatis alumnis non abſimiles; habuerint, quid hìc ceu pervulgata commemorem? Et jam delacrymavimus.

* Vide, *Memoires pour Rome ſur l'état de la Chine.* Huictieſme Memoire.

† Vide, *Vie du Pere Moralez Dominicain.*

Tertium hìc accedat ex hiſtoria Congregationum de Auxiliis, quod ſic habet. Clemens octavus contra novitium Moliniſtarum de gratia Chriſti dogma, partibus, ut par eſt, auditis, argumentorum quoque utrimque alla-

torum

torum diſcuſſione ac maturâ pro cauſæ gravitate deliberatione præmiſſis, proſcriptionis Decretum concepit formavitque. Nec jam aliud, ad hanc novitatem Semipelagianamque pravitatem ſemel proſcribendam exterminandamque, priſcamque adeo Eccleſiæ doctrinam aſſerendam, deſiderabatur, quàm Decreti promulgatio; & ecce Loioliſtarum Reſpublica promulgationi interceſſit. Primùm ingentia in Eccleſia ſchiſmata comminata eſt: & per quos, quæſo, niſi per ipſoſmet, quorum utique intererat, excitanda? Dehinc in impreſſis Theſibus publicè tueri ac in vulgus ſpargere audet: *Non eſſe de fide; Clementem octavum eſſe Pontificem.* Quæ quò vergerent nemo non videt, & Clemens mox ſubodorabatur. Fallor an non Pontificem è Cathedra egiſſent præcipitem; adeò vel ipſis rerum humanarum apicibus intutum eſt, Jeſuitis diſplicuiſſe. Papæ hæc animum terruere, nec ulla conſecuta Decreti promulgatio. Quò igitur evaſerat, aut cur hic inefficax erat hæc infallibilitas? Ænigma ſupra evolvi; odioſum erat, Ità gens illa cedere neſcia, quæ paullò ante, inclinata primùm acie, mox etiam proſtrato à Patre Lemos duce ſuo Valentia, campo exceſſerat (nota loquor) afflictis rebus ſuis ſuccurrit; jamque impedita hac promulgatione, tamquam luculentâ victoria reportatâ, feſtivos ubique triumphati Pontificis ignes extruxerunt.

Accedat etiam quartum, idque ultimum, nec à prioribus abludens. Cùm Innocentius XII. miſſo ad Epiſcopos Belgii Brevi pacifico, religioſam Loioliſtarum in Janſeniſtas ſuos iram, ac pluſquam Vatinianum odium (Jeſuiticum

ticum vocemus) exarmaſſet: atque adeo ad diverſum longè Breve, obſtetricante Deſirantio, hiantes corvos, deluſiſſet; quid tum non ab inquieta Loiolæ gente turbatum? Quid de Papa à Jeſuitis dictum aut quid non dictum? Ego Mechlinienſis olim Seminarii alumnum, nunc paſtorem, qui ſub initium, quo Innocentii hoc Breve in Belgium advenerat, crucem antè Archiepiſcopum portaverat, mihi ſub hæc tempora dicere memini: ut Patrem Geys, deceſſorem Patrem Maes, ſed mediante, ni fallor, Patre Fontaine, in palatio Archiepiſcopali, inque ampla audientium corona dicentem audiverit: *Pontificem hìc deceptorum Cardinalium fraudibus eſſe circumventum; pro quorum ideo anima ne unum quidem Pater & Ave eſſet recitaturus.* Mirum quòd adhuc nomini ac perſonæ Innocentii pepercit: aliàs minùs verecundos fuiſſe, tu mecum, ô amice! noviſti. Fuit tempus cùm Innocentius XI. Lovanienſibus Theologis enixiùs faveret, nonne tunc audivimus, ut eum Janſeniſtæ titulo dignati ſint? Sed ex mox relatis oppidò videre eſt, ut Jeſuitica Reſpublica, per inulta ludibria creſcente aut firmatâ audaciâ, ſemper ſibi ſimilis ſit, & principiis, inclytæ Societatis ſuæ ſanctione munitis, continenter inſiſtat. Hoc volo, illam alibi tantoperè jactatam Papæ infallibilitatem, hìc rurſus ejus gentis factam fuiſſe ludibrium, quia odioſum quid vertebatur.

At cur odioſum? inquis, & rectè. Nonne enim hoc Breve Romanorum, diſſidiis ſemel finiendis intentorum, induſtriam ſubtilitatemque exhauſerat? Nonne idem utrique litigantium parti, Jeſuitis primùm, quorum cauſa

tantò majoribus aſſociatorum præſidiis Romæ fulciebatur, ſatisfacere debebat? Ita, credo, opinaris. Cave tamen quidquam præcipites, & Jeſuitis ſatisfactum putes. Non ſatisfecit, quin poſt tot Papæ ſollicitudines, tantâ ad Belgii Epiſcopos ſolennitate tranſmiſſum, adhæc Regiâ auctoritate probè munitum Breve, ſub Jeſuitico tamen regno, tamquam ab altiori poteſtate proſcriptum eſſet, non citiùs pœne natum, quàm antiquatum eſt. Cauſam rogas? Eccleſiarum quidem tranquillitati reducendæ idoneum, at Jeſuitarum irrequietæ libidini ac furori inutile erat. Hinc altum modò apud ipſos hoc de Brevi ſilentium: mirabor, ſi non & ipſum Innocentium, è diptychis ſuis eraſum, longæ oblivioni tradere ſatagant; quò dolorem ſuum ulciſcantur. Nunc interim faceſſat cum illo ſuo Brevi Papa Jeſuitis faſtiditus & concedat meliori. Bene habet, quod hunc dolorem ex animo deleat, ſucceſſit felicius Clementes XI. regnum, cujus vel ipſa incunabula Jeſuitis lætiora quæque ac votis ſuis paria portendunt.

Cum enim Generalis Jeſuitarum Clementem recèns Pontificem creatum adiſſet, pro more indeptum Pontificatum gratulaturus, quis fando eloqui poſſit, quàm ab eo comiter exceptus ſit? Merum mel audire meruit. SS. Dominus, qui ſe Societatis filium profitebatur, nunc pater factus, plenâ manu favorem ſuum ac operam Societati pollicetur, addicitque. Talia ſub Pontificatus hujus primordia, vir magnæ tunc inter Jeſuitas dignitatis retulit ex litteris, quas recèns a ſuo Generali ſuper nova Papæ electione acceperat. Addebat, ut novus Papa per aliquot ab electione dies non

aliud

aliud quàm, formidando oneri ſuo illacrymaretur; nec dolor, eheu! lenimen admitteret; maxumè verò (quod quæ eum caperent, his alios etiam delectari crederet) eos qui aderant, attentos volebat ad modò dictam Papæ in Societatis commoda ac vota promiſſionem. Prope aberat, quin hi Pontificem Societati ſe ſacramento obſtrinxiſſe credidiſſent. Delectaverat audientes libera pariter & ſimplex oratio! Nam & nihil in Clemente non amabat, nec aliquid quod amaret celabat animus, tum ſponte huc imminens, tum & audientum attentione excitatus. Poſt aliquot exinde ſeptimanas, idem ille vir ex aliis itidem Generalis ſui litteris, iterum de Clemente ſuo verba faciens, inter encomia id quoque, nec ſine ingenti animi voluptate, quæ & in facie ſe proderet, narravit, ut hujus tam dilecti Papæ lacrymæ illæ jam areſcere viderentur. Porro cùm illam hanc Pontificis promiſſionem cum quarto Jeſuitarum voto confero, non nihil vereri ſubit, ne in inextricabilem circulum devoluti, dubitemus tandem, utri jubendi obediendique partes attribuamus, Papæne an Societati, niſi fortè ambos unà Eccleſiam ut plurimùm regere dicimus, & Societatem velut Urim & Tummim Pontificis novæ legis conſideramus. Cœterum Papa hujus pollicitationis ſuæ fidem Jeſuitis in occaſionibus non paucis reipsâ exhibuit.

An non enim id videre eſt in arduo illo negotio, quod adverſùm illas, tantoperè ſibi exoſas, fœderati Belgii Eccleſias Societas habet? Ubi nimius Papæ in Societatem affectus, tot in toto Romanorum contra Archiepiſcopum Sebaſtenum proceſſu irregularitates, tot in eo-

rum-

rumdem Decretis abuſus ac nullitates peperit. Nonne in pari ferè cauſa eorundem Patrum contrà Paſtorem egregium Bruxellenſem, par Pontificis ſtudium pro iiſdem agnovimus? Ubi inter alia devoti Jeſuitis animi ſigna, ut aliis itidem obſervatum, Decretum aliquod Romanum contra Senatum Brabanticum tantâ celeritate Româ Bruxellas revolavit, ut præcipitantiam mirarentur, qui ejus cauſam ignorabant. Adhæc nonne illos Societatis pullos, vel hoc nomine nunc apud Pontificem tam videmus eſſe gratioſos, ut ſolis pœne aditus pateat ad beneficia collationis Pontificiæ, in Eccleſiis maxumè cathedralibus, poſthabitis proprii Eccleſiæ Epiſcopi commendationibus?

At quod his omnibus majus, imò Jeſuiticorum votorum ſumma eſt, nonne ab eodem hoc Pontifice Bullam, *Vineam Domini Sabaoth*, eâ qua nunc valent gratiâ, illæ obtinuerunt Vulpeculæ, quæ hanc vineam demoliuntur? Quid verò Jeſuitis hâc Bullâ gratius unquam accidit, aut accidere etiam potuit? Nonne enim per eam famoſum factum nunc in dogmatis cenſum quodammodo recipitur? Nonne in illud, per novas ſuas formulas timoratis modò conſcientiis horridas, exigendi jurisjurandi poteſtas illis quaſi facta, quam & illo tam ſibi amico brachio ſæculari armare poſſint? Macti modò hac virtute Jeſuitæ: pergite ampliùs in magni Epiſcopi famam graſſari: in viros bonos ſæviendi occaſionem ne negligite. Hoc verò, hoc eſt Eccleſiam defendere, ob *ſenſum ab auctore intentum* eam univerſam turbatam habere. Hæc eccleſiaſticorum dogmatum ſumma, hoc fidei caput eſt; hoc

catholicum inter hæreticumque præclarè diſcernit. Proin ſi quid ex Decreto Chinenſi doloris animo reſidet, id obtentæ tàm præclaræ Bullæ memoria oppidò leniet. Longè abeſt China. Diſtantia loci, tum & tempus ſuggeret, unde rebus Jeſuiticis ibi turbatis proſpiciatur. Tanti denique eſt Janſeniſtas commodiùs poſſe perſequi, & qua fas eſt, exſturbare.

Te mitto, ubi tecum ipſo minutum quid litigavero, &; quia cum amico res eſt, delitigavero. Pagina 14. Epiſtolæ tuæ me Thomiſtis colliſum velle videris, niſi imprudenti, quòd magis credere lubet, ea excidérunt. Aliàs in hoc fruſtra fueris. Cum eis quippe viris; quos ob ſanam doctrinam veneror, optimè mihi convenit, quoad gratiam hominis lapſi, quòd ego palmarium duco, quando ſola ad nos pertinet. Si Jeſuitis hic aliquid exemptionis aut prærogativæ conceſſum, unde eis dilutioris gratiæ remedium ſufficiat, ipſimet, ſi volent, nos docebunt. At an tu credis, etſi quid in modo loquendi intereſſet, dum tamen de re probè convenit, veros Thomæ diſcipulos aliquid mihi ſuccenſere? Ita minùs eos noveris. Porro, ut & hoc per occaſionem hìc dicam, ſi quid inter nos reliquum eſt diſſidii circa gratiam naturæ integræ; abſit ut id mutuam charitatem minuat, aut mutui contra Jeſuitas fœderis ac ſocietatis ſerenitatem conturbet.

Vide ut, tecum familiariter fabulando, & quæ ſuper hac controverſia obiter inciderunt in ſinum tuum effundendo, ſine ſenſu tempus præterlabitur. Igitur quia hora monet, ante diſceſſum te rogatum velim, uti, ſi quæ

tibi

tibi cum Jeſuitis neceſſitudo intercedit, neque eam durioribus illis terminis*, *vafrorum, verſipellium*, imprudens alteraſti, meo nomine cum illis paciſci coneris, ut, quia de re ægrè inter nos conventurum arbitror, ſaltem inter diſputandum injuriis, quibus ego occaſionem dedi nullam, utrimque abſtineatur. Id, mihi crede, magis nos decebit ejuſdem Eccleſiæ filios, eadem charitatis mutuæ Sacramenta participantes. Ego ab hoc vehementi ac turbulento diſputandi modo tantoperè abhorreo, ut hoc ſcriptum, ad mei defenſionem eamque, ut multi exiſtimant, neceſſariam, unicè inſtitutum, aliquando Vulcano tradendum curaverim; ac poſteà è cineribus renatum non niſi multimodis provocatus, & vel ſic quoque invitus in lucem edi permiſerim. Vale & me tui amantem in Chriſto redama. Ecce dum tecum in hac Apologia colloqui videor, in Epiſtolarem formam deſino.

* Epiſt. fam. pag. 7.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Pag. 14. lin. 4. *Lege* adeo.